

PRUDENCE

CONTRA SYMMACHUM (1944 vers)

LIBER PRIMVS

PRAEFATIO

S1_1 v.1 Paulus, praeco Dei, qui fera gentium
 2 primus corda sacro perdomuit stilo,
 3 Christum per populos ritibus asperis
 4 inmanes placido dogmate seminans,
 5 inmansueta suas ut cerimonias
 6 gens pagana Deo sperneret agnito,
 7 actus turbinibus forte nigerrimis
 8 hibernum pelagus jam rate debili
 9 et vim navifragi pertulerat noti ;
 10 sed cum caerulei proelia gurgitis
 11 jussisset Domini dextra quiescere,
 12 ad portum fluitans cumba relabitur
 13 exponitque solo litoris uvidi
 14 contractos pluvio frigore remiges.
 15 Tunc de litoreis saepibus algidi
 16 arentum propere bracchia palmitum
 17 convectant, rapidos unde focos struant :
 18 fascem quisque suum congerit ignibus,
 19 expectans calidi luxuriam rogi.
 20 Paulus dum fragiles cogere surculos
 21 et densere foci congeriem studet,
 22 incautam cumulis inseruit manum,
 23 torpebat glacie pigra ubi vipera,
 24 sarmentis laqueos corporis implicans.
 25 Quae postquam intepuit fomite fumeo
 26 laxavitque ferox colla rigentia,
 27 jam flecti facilis rettulit ad manum
 28 vibrato capite spicula dentium ;
 29 haerentem digiti vulnere mordicus
 30 pendentemque gerens Paulus inhorruit.
 31 Exclamant alii, quod cute livida
 32 virus mortiferum serpere crederent.
 33 At non intrepidum terret apostolum
 34 tristis tam subiti forma periculi.
 35 Adtollens oculos sidera suspicit,
 36 Christum sub tacito pectore murmurans,
 37 excussumque procul discutit aspidem.
 38 Abjectus coluber verberat aera
 39 Atque oris patuli solvit acumina.
 40 Mox omnis sanies deserit et dolor
 41 ceu nullo laceram vulnere dexteram,
 42 siccatusque perit vipereus liquor ;
 43 hydrum praecipitem dum rotat inpetus,
 44 arsurum mediis intulit ignibus.
 45 Sic nunc post hiemem vimque trucis freti,
 46 quo jactata ratis tunc Sapientiae est,

47 cum sub sacricolis territa regibus
 48 vix panso poterat currere carbaso,
 49 adflctosque suos turbine saeculi
 50 vectarat rabidis fluctibus innatans,
 51 morsum vulnificum lex pia pertulit.
 52 Occultabat enim se prius abditum
 53 virus nec gravidum protulerat caput,
 54 contentum involucris atque cubilibus
 55 subter conprimere clausa silentia.
 56 Sed dum forte latens impietas riget,
 57 dextram justitiae pigra momorderat,
 58 succensi stomacho fellis inaestuans.
 59 Heu ! quam catholicam nil prope profuit
 60 puppem nasse sacri remigio stili,
 61 quem Paulus variis gentibus edidit !
 62 Vix portu placido tuta quieverat,
 63 victrix edomitae mille furoribus ;
 64 vix adstricta suis jam retinaculis
 65 vectores stabili condiderat solo ;
 66 erumpit subito triste periculum.
 67 Nam dum praecalidos igniculos sibi
 68 solvendis adolent et senio et gelu,
 69 dum virgas steriles atque superfluas
 70 flammis de fidei palmitate concremant,
 71 ut concreta vagis vinea crinibus
 72 silvosi inluviem poneret idoli,
 73 palpavit nimius perniciem tepor ;
 74 seps insueta subit serpere flexibus
 75 Et vibrare sagax eloquii caput.
 76 Sed dextra inpatiens vulneris inritos
 77 oris rhetorici depulit halitus ;
 78 effusum ingenii virus inaniter
 79 summa christicolis in cute substitit.
 80 Salvator generis Romulei, precor,
 81 qui cunctis veniam das pereuntibus,
 82 qui nullum statuis non operis tui
 83 mortalem, facili quem releves manu,
 84 hujus, si potis est, jam miserescito,
 85 praeruptam in foveam praecipitis viri !
 86 Spirat sacrilegis flatibus inscius
 87 erroresque suos indocilis fovet.
 88 Obtestor, jubeas ne citus inpetus
 89 arsurum mediis inferat ignibus.

LIBER PRIMUS

S1_2 v.1 Credebam vitiis aegram gentilibus urbem
 2 jam satis antiqui pepulisse pericula morbi,
 3 nec quidquam restare mali, postquam medicina
 4 principis inmodicos sedarat in arce dolores.
 5 Sed quoniam renovata luis turbare salutem
 6 temptat Romulidum, Patris inploranda medella est,
 7 ne sinat antiquo Romam squalere veterno
 8 neve togas procerum fumoque et sanguine tingui.
 9 Inclutus ergo parens patriae moderator et orbis
 10 nil egit prohibendo vagas ne pristinus error
 11 crederet esse deum nigrante sub aere formas,

12 aut elementorum naturam, quae Patris ars est
 13 omnigeni, summa pro maiestate sacraret ?
 14 Vir solus cui cura fuit ne publica morum
 15 plaga cicatricem summa leviter cute clausam
 16 duceret, et latebram tabentis vulneris alte
 17 impressam penitusque putri de pure peresam
 18 juncta superficies medico fallente foveret ;
 19 sed studuit quo pars hominis generosior intus
 20 viveret atque animam letali peste piatam
 21 nosset ab interno tutam servare veneno.
 22 Illa tyrannorum fuerat medicina : videre
 23 quis status ante oculos praesentibus ac perituris
 24 conpeteret rebus, nec curam adhibere futuris.
 25 Heu ! Male de populo meriti, male patribus ipsis
 26 blanditi, quos praecipites in tartara mergi
 27 cum Jove siverunt multa et cum plebe deorum !
 28 Ast hic imperium protendit latius aevo
 29 posteriore, suis cupiens sancire salutem.
 30 Nimirum pulchre quidam doctissimus : " Esset
 31 publica res, inquit, tunc fortunata satis, si
 32 vel reges saperent vel regnarent sapientes. "
 33 Estne ille e numero paucorum, qui diadema
 34 sortiti aetheriae coluerunt dogma sophiae ?
 35 Contigit ecce hominum generi gentique togatae
 36 dux sapiens. Felix nostrae res publica Romae
 37 justitia regnante viget. Parete magistro
 38 sceptrata gubernanti. Monet ut deterrimus error
 39 utque superstitio veterum procul absit avorum,
 40 nec putet esse deum, nisi qui super omnia summus
 41 emineat magnique immensa creaverit orbis.
 42 Num melius Saturnus avos rexisse Latinos
 43 creditur, edictis qui talibus informavit
 44 agrestes animos et barbara corda virorum ?
 45 "Sum deus, advenio fugiens, praebete latebras,
 46 occultate senem nati feritate tyranni
 47 dejectum solio. Placet, hic fugitivus et exul
 48 ut lateam, genti atque loco Latium dabo nomen.
 49 Vitibus incurvum, si qua est ea cura, putandis
 50 procudam chalybem, nec non et moenia vestri
 51 fluminis in ripa statuam Saturnia vobis.
 52 Vos nemus adpositasque meo sub honore sacranter
 53 (sum quia nam caelo genitus) celebrabitis aras."
 54 Inde deos, quorum patria spectata sepulcra
 55 scimus, in aere hebetes informavere minores,
 56 advena quos profugus gignens et equina libido
 57 intulit Italiae : Tuscis namque ille puellis
 58 Primus adhinnivit simulato numine moechus.
 59 Mox patre deterior silvosi habitator Olympi
 60 Juppiter incesta spurcavit labe Lacaenas :
 61 Nunc bove subvectam rapiens ad crimen amatam ;
 62 Nunc tener ac pluma levior, blandosque susurros
 63 in morem recinens suave inmorientis oloris,
 64 capta quibus volucrum virguncula ferret amorem ;
 65 Nunc foribus surdis, sera quas vel pessulus artis
 66 firmarat cuneis, per tectum dives amator,
 67 imbricibus ruptis, undantis desuper auri
 68 infundens pluviam gremio excipientis amicae ;
 69 armigero modo sordidulam curante rapinam,

70 conpressu inmundo miserum adficiens catamitum,
71 pelice jam puero magis indignante sorore.
72 Haec causa est et origo mali, quod saecla vetusto
73 hospite regnante crudus stupor aurea finxit,
74 quodque novo ingenio versutus Juppiter astus
75 multiplices variosque dolos texebat, ut illum,
76 vertere cum vellet pellem faciemque, putarent
77 esse bovem, praedari aquilam, concumbere cycnum,
78 et nummos fieri et gremium penetrare puellae.
79 Nam quid rusticitas non crederet indomitorum
80 stulta virum, pecudes inter ritusque ferinos
81 dedere sueta animum diae rationis egenum ?
82 In quamcumque fidem nebulonis callida traxit
83 nequitia, infelix facilem gens praebuit aurem.
84 Successit Jovis imperio corruptior aetas,
85 quae docuit rigidos vitiis servire colonos.
86 Expertes furandi homines hac inbuit arte
87 Mercurius Maia genitus ; nunc magnus habetur
88 Ille deus, cujus dedit experientia fures.
89 Nec non Thessalicae doctissimus ille magiae
90 traditur extinctas sumptae moderamine virgae
91 in lucem revocasse animas, Cocytia leti
92 jura resignasse sursum revolantibus umbris,
93 ast alias damnasse neci penitusque latenti
94 inmersisse chao. Facit hoc ad utrumque peritus
95 ut fuerit geminoque armarit crimine vitam :
96 murmure nam magico tenues excire figuras
97 atque sepulcrales scite incantare favillas,
98 vita itidem spoliare alios ars noxia novit.
99 Artificem scelerum simplex mirata vetustas
100 supra hominem coluit, simulans per nubila ferri
101 aligerisque leves pedibus transcurrere ventos.
102 Ecce deum in numero formatus et aeneus adstat
103 Graius homo augustaque Numae praefulget in arce.
104 Strenuus exculti dominus quidam fuit agri
105 hortorumque opibus memorabilis, hic tamen idem
106 scortator nimius multaque libidine suetus
107 rusticulas vexare lupas interque salicta
108 et densas saepes obscena cubilia inire ;
109 indomitum intendens animum semperque paratum
110 ad facinus numquam calidis dabat otia venis.
111 Hic deus e patrio praenobilis Hellesponto
112 venit ad usque Italos sacris cum turpibus hortos.
113 Sinum lactis et haec votorum liba quotannis
114 accipit, ac ruris servat vineta Sabini,
115 turpiter adfixo pudeat quem visere ramo.
116 Herculeus mollis pueri famosus amore
117 ardor, et in transtris jactata efferbuit Argo ;
118 nec maris erubuit Nemea sub pelle fovere
119 concubitus, et Hilan pereuntem quaerere caelebs.
120 Nunc Saliis cantuque domus Pinaria templum
121 collis Aventini convexa in sede frequentat.
122 Thebanus juvenis superatis fit deus Indis,
123 successu dum victor ovans lascivit, et aurum
124 captivae gentis revehit. Spoliisque superbus
125 diffluit in luxum cum semiviro comitatu,
126 atque avidus vini multo se proluit haustu,
127 gemmantis paterae spumis mustoque Falerno

128 perfundens bijugum rorantia terga ferarum.
129 His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris
130 caeditur, et virides discindunt ore chelydros
131 qui Bromium placare volunt, quod et ebria jam tunc
132 ante oculos regis satyrorum insania fecit,
133 et fecisse reor stimulis furialibus ipsas
134 maenadas inflammante mero in scelus omne rotatas.
135 Hoc circumsaltante choro temulentus adulter
136 invenit expositum secreti in litoris acta
137 corporis egregii scortum, quod perfidus illic
138 liquerat incesto juvenis satiatus amore.
139 Hanc jubet adsumptam fervens post vina Neaeram
140 secum in deliciis fluitantis stare triumpho,
141 regalemque decus capitis gestare coronam ;
142 mox Ariadneus stellis caelestibus ignis
143 additur : hoc pretium noctis persolvit honore
144 Liber, ut aetherium meretrix inluminet axem.
145 Tantum posse omnes illo sub tempore reges
146 indocilis fatui ducebat ineptia vulgi,
147 ut transire suis cum sordibus induperator
148 posset in aeternum caeli super ardua regnum.
149 Regia tunc omnis vim majestatis et omnis,
150 parva licet, caeli imperium retinere potestas
151 credita, tunc etiam ducibus parvoque sacello
152 impertitus honos, quem dum metus aut amor aut spes
153 adcumulant, longum miseris processit in aevum
154 mos patrius, coepit falsae pietatis imago
155 ire per ignaros nebuloso errore nepotes.
156 Tum quia, quae vivis veneratio regibus ante
157 contigerat, functis eadem jam munere lucis
158 cessit et ad nigras altaria transtulit urnas,
159 inde puellarum ludibria, pignera, partus,
160 et furtivus amor juvenum et deprensa jugalis
161 corruptela tori, quoniam regalibus aula
162 fervere tunc vitiis solita est, nec perdita luxu
163 divorum suboles sancti meminisse pudoris.
164 Atque ut, Roma, tuos caelesti ex sede parentes,
165 quis te semideam jactant auctoribus ortam,
166 praestringam breviter, gradivum vel Cytheream :
167 Ille sacerdotem violat, contra illa marito
168 subcumbit Phrygio. Coitus fuit impar utrique :
169 nec terrestre deam decuit mortalis obire
170 conjugium, nec caelicolam descendere ephybum
171 Virginis ad vitium furtivoque igne calere.
172 Sed Venus Augusto de sanguine femina vili
173 privatoque viro vetitum per dedecus haesit ;
174 et si Rhea sacram lascivi Martis amore
175 lusa pudicitiam fluviali amisit in ulva,
176 crediderim generosae aliquem stirpis, sed eundem
177 moribus infamem, compressa virgine per vim
178 se dixisse deum, ne stuprum numinis ullus
179 obicere auderet turpi miseraeque puellae.
180 Haec Italos induxit avos vel fama vel error,
181 Martia Romuleo celebrarent ut sacra campo,
182 utque Palatinis Capitolia condita saxis
183 signarent titulo proavi Jovis atque Pelasgae
184 Palladis, et Libyca Junonem ex arce vocarent,
185 cognatos de Marte deos, Veneris quoque nudum

186 accirent proceres Erycino e vertice signum,
 187 utque deum mater Phrygia veheretur ab Ida,
 188 Bacchica de viridi peterentur ut orgia Naxo.
 189 Facta est terrigenae domus unica majestatis
 190 et tot templa deum Romae quot in orbe sepulcra
 191 heroum numerare licet, quos fabula manes
 192 nobilitat, noster populus veneratus adorat.
 193 Hos habuere deos Ancus, Numitor, Numa, Tullus,
 194 talia Pergameas fugerunt numina flammis,
 195 sic Vesta est, sic Palladium, sic umbra penatum,
 196 talis et antiquum servavit terror asylum.
 197 Ut semel obsedit gentilia pectora patrum
 198 vana superstitio, non interrupta cucurrit
 199 aetatum per mille gradus. Tener horruit heres
 200 et coluit quidquid sibimet venerabile cani
 201 monstrarant atavi ; puerorum infantia primo
 202 errorem cum lacte bibit, gustaverat inter
 203 vagitus de farre molae, saxa inlita ceris
 204 viderat unguentoque lares umescere nigros ;
 205 formatum Fortunae habitum cum divite cornu
 206 sacratumque domi lapidem consistere parvus
 207 spectarat matremque illic pallere precantem.
 208 Mox umeris positus nutricis trivit et ipse
 209 inpressis silicem labris, puerilia vota
 210 fudit opesque sibi caeca de rupe poposcit,
 211 persuasumque habuit, quod quis velit, inde petendum.
 212 Numquam oculos animumque levans rationis ad arcem
 213 rettulit, insulsum tenuit sed credulus usum,
 214 privatos celebrans agnorum sanguine divos.
 215 Jamque domo egrediens, ut publica festa diesque
 216 et ludos stupuit, celsa et Capitolia vidit,
 217 laurigerosque deum templis adstare ministros,
 218 ac sacram resonare viam mugitibus ante
 219 delubrum Romae (colitur nam sanguine et ipsa
 220 more deae, nomenque loci ceu numen habetur,
 221 atque Urbis Venerisque pari se culmine tollunt
 222 templa, simul geminis adolentur tura deabus),
 223 vera ratus, quaecumque fiant auctore senatu,
 224 contulit ad simulacra fidem dominosque putavit
 225 Aetheris, horrifico qui stant ex ordine vultu.
 226 Illic Alcides spoliatis Gadibus hospes
 227 Arcadiae fulvo aere riget, gemini quoque fratres
 228 corrupta de matre nothi, Ledeia proles,
 229 nocturnique equites, celsae duo numina Romae,
 230 independent retinente veru magnique triumphu
 231 nuntia suffuso figunt vestigia plumbo.
 232 Adsistunt etiam priscorum insignia regum :
 233 Tros, Italus, Janusque bifrons, genitorque Sabinus,
 234 Saturnusque senex, maculoso et corpore picus,
 235 conjugis epotum sparsus per membra venenum.
 236 Omnibus ante pedes posita est sua cuique vetusta
 237 arula. Jano etiam celebri de mense litatur
 238 auspiciis epulisque sacris, quas inveterato
 239 (heu miseri !) Sub honore agitant, et gaudia ducunt
 240 festa calendarum. Sic observatio crevit,
 241 ex atavis quondam male coepta, deinde secutis
 242 tradita temporibus serisque nepotibus aucta ;
 243 traxerunt longam corda inconsulta catenam,

244 mosque tenebrosus vitiosa in saecula fluxit.
 245 Hunc morem veterum docili jam aetate secuta
 246 posteritas mense atque adytis et flamine et aris
 247 Augustum coluit, vitulo placavit et agno,
 248 strata ad pulvinar jacuit, responsa poposcit.
 249 Testantur tituli, produnt consulta senatus
 250 Caesareum Jovis ad speciem statuentia templum.
 251 Adjecere sacrum, fieret quo Livia Juno,
 252 Non minus infamis thalami sortita cubile
 253 quam cum fraterno caluit Saturnia lecto.
 254 Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
 255 conceptamque viri subolem paritura gerebat
 256 pronuba ; jam gravidae fulcrum et geniale parantur ;
 257 jam sponsus saliente utero nubentis amicos
 258 advocat, haud sterilem certus fore jam sibi pactam.
 259 Vitricus antevenit tardum praefervidus ortum
 260 privigni nondum geniti ; mox editur inter
 261 Fescennina novo proles aliena marito.
 262 Idque deum sortes, id Apollinis antra dederunt
 263 consilium : numquam melius nam cedere taedas
 264 responsum est, quam cum praegnans nova nupta jugatur.
 265 Hanc tibi, Roma, deam titulis et honore sacratam
 266 perpetuo Floras inter Veneresque creasti !
 267 Nec mirum ; quis enim sapiens dubitaverat illas
 268 mortali de stirpe satas vixisse, et easdem
 269 laude venustatis claras in amoribus usque
 270 ad famae excidium formae nituisse decore ?
 271 Quid loquar Antinuum caelesti in sede locatum,
 272 illum delicias nunc divi principis, illum
 273 purpureo in gremio spoliatum sorte virili,
 274 Hadrianique dei Ganymedem, non cyathos dis
 275 porgere, sed medio recubantem cum Jove fulcro
 276 nectaris ambrosii sacrum potare Lyaeum,
 277 cumque suo in templis vota exaudire marito ?
 278 Ergo his auspiciis Trajanus, Nerva, Severus,
 279 et Titus, et fortes gesserunt bella Nerones !
 280 Quos terrena viros inlustres gloria fecit,
 281 et virtus fragilis provexit in ardua famae,
 282 adscita e terris, sub religione jacentes.
 283 Quam pudet hoc illis persuasum talibus, ut se
 284 Romanasque acies censerent Martis amore
 285 posse regi, dum se Paphiae male blandus adulter
 286 venditat, Aeneadasque suos successibus auget !
 287 Felices, si cuncta Deo sua prospera Christo
 288 Principe disposita scissent, qui currere regna
 289 certis ducta modis, Romanorumque triumphos
 290 crescere, et inpletis voluit se infundere saeculis !
 291 Sed caligantes animas et luce carentes
 292 in Jovis Augustique adytis, templisque duarum
 293 Junonum, Martisque etiam Venerisque sacellis
 294 mactatas taetro leti inmersere baratro,
 295 supremum regimen crassis in partibus orbis
 296 esse rati, mersoque poli consistere fundo.
 297 Quidquid humus, quidquid pelagus mirabile gignunt,
 298 id duxere deos : colles, freta, flumina, flammis.
 299 Haec sibi per varias formata elementa figuras
 300 constituere patres, hominumque vocabula mutis
 301 scripserunt statuis, vel Neptunum vocitantes

302 Oceanum, vel cyaneas cava flumina Nymphas,
 303 vel silvas Dryadas, vel devia rura Napaeas.
 304 Ipse ignis, nostrum factus qui servit ad usum,
 305 Vulcanus perhibetur, et in virtute superna
 306 fingitur, ac delubra deus et nomine et ore
 307 adsimulatus habet, nec non regnare caminis
 308 fertur et Aeoliae summus faber esse vel Aethnae.
 309 Est qui conspicuis superos quaesivit in astris,
 310 ausus habere deum solem, cui tramite certo
 311 condicio inposita est vigilem tolerare laborem,
 312 visibus objectum mortalibus, orbe rotundo
 313 praecipitem, teretique globo per inane volentem,
 314 et, quod nemo negat, mundo caeloque minorem.
 315 Area major enim quam qui percurrit in illa,
 316 et longe campi spatium diffusius, in quo
 317 Emicat ac volucris fervens rota volvitur axe.
 318 Quamvis nonnullis placeat terram brevior
 319 dicere circuitu quam sit pulcherrimus ille
 320 circulus, et flammam inmensi sideris ultra
 321 Telluris normam porrecto extendere gyro,
 322 numne etiam caeli minor et contractior orbis,
 323 cujus planitiem longo transmittere tractu
 324 circinus excurrens meta interiore laborat ?
 325 Ille deus verus, quo non est grandior ulla
 326 materies, qui fine caret, qui praesidet omni
 327 Naturae, qui cuncta simul concludit et inplet.
 328 Solem certa tenet regio, plaga certa coercet,
 329 temporibus variis distinguitur : aut subito ortu,
 330 aut ruit occasu, latet aut sub nocte recurrens ;
 331 nec torquere facem potis est ad signa trionum,
 332 orbe nec obliquo portas aquilonis adire,
 333 nec solitum conversus iter revocare retrorsum.
 334 Hic erit ergo deus, praescriptis lege sub una
 335 deditus officiis ? Libertas laxior ipsi
 336 concessa est homini, formam cui flectere vitae
 337 atque voluntatis licitum est, seu tramite dextro
 338 scandere, seu laevo malit decurrere campo,
 339 sumere seu requiem, seu continuare laborem,
 340 seu parere Deo, sive in contraria verti.
 341 Ista ministranti regimen sollemne dierum
 342 haudquaquam soli datur a factore potestas,
 343 sed famulus subjectus agit, quodcumque necesse est.
 344 Hoc sidus currum rapidasque agitare quadrigas
 345 commentum, et radios capitis et verbera dextrae
 346 et frenos phalerasque et equorum pectora anhela
 347 aeris inaurati vel marmoris aut oricalci
 348 jusserunt nitido fulgere polita metallo.
 349 Post trabeas et eburnam aquilam sellamque curulem,
 350 cernuat ora senex barbatus et oscula figit
 351 cruribus aenipedum, si fas est credere, equorum,
 352 inmotasque rotas et flecti nescia lora
 353 aut ornat redimita rosis aut ture vaporat.
 354 Hoc tamen utcumque est tolerabile. Quid, quod et ipsae
 355 dant tibi, Roma, deos inferni gurgitis umbrae ?
 356 Eumenidum domina, Stygio caput exerit antro
 357 rapta ad tartarei thalamum Proserpina regis ;
 358 et, si quando suos dignatur adire Quirites,
 359 placatur vaccae sterilis cervice resecta,

360 et regnare simul caeloque ereboque putatur,
 361 Nunc bigas frenare boves, nunc saeva sororum
 362 agmina vipereo superis inmittere flagro,
 363 Nunc etiam volucres caprearum in terga sagittas
 364 Spargere, terque suas eadem variare figuras.
 365 Denique, cum Luna est, sublustri splendet amictu,
 366 cum subcincta jacet calamos, Latonia virgo est,
 367 cum subnixa sedet solio, Plutonia conjunx
 368 imperitat Furiis et dictat jura Megaerae.
 369 Si verum quaeris, Triviae sub nomine daemon
 370 Tartareus colitur, qui te modo raptat ad aethram
 371 sidereoque deum venerandum suadet in astro,
 372 per silvas modo mortiferi discurrere mundi
 373 erroresque sequi subigit, nemorumque putare
 374 esse deam, quae corda hominum pavitantia figat,
 375 quaeque feras perimat letali vulnere mentes,
 376 depressos modo subter humum formidine sensus
 377 obruit inplorent ut numina lucis egena,
 378 seque potestati committant noctis opertae.
 379 Respice terrifici scelerata sacraria Ditis,
 380 cui cadit infausta fusus gladiator harena,
 381 heu ! male lustratae Phlegetontia victima Romae !
 382 Nam quid vesani sibi vult ars inopia ludi ?
 383 Quid mortes juvenum, quid sanguine pasta voluptas,
 384 quid pulvis caveae semper funebris, et illa
 385 amphitheatralis spectacula tristia pompae ?
 386 Nempe Charon jugulis miserorum se duce dignas
 387 accipit inferias placatus crimine sacro.
 388 Hae sunt deliciae Jovis infernalis, in istis
 389 arbiter obscuri placidus requiescit Averni.
 390 Nonne pudet regem populum sceptrisque potentem
 391 talia pro patriae censere litanda salute,
 392 religionis opem subternis poscere ab antris ?
 393 Evocat, heu ! Poenis tenebrosa ex sede ministrum
 394 interitus, speciosa hominum cui funera donet.
 395 In cassum arguere jam Taurica sacra solemus :
 396 funditur humanus Latiari in munere sanguis,
 397 consessusque ille spectantum solvit ad aram
 398 Plutonis fera vota sui. Quid sanctius ara
 399 quae bibit egestum per mystica tela cruorem ?
 400 Anne fides dubia est tibi sub caligine caeca
 401 esse deum, quem tu tacitis rimeris in umbris ?
 402 Ecce, deos manes cur infitiaris haberi ?
 403 Ipsa patrum monumenta probant : " Dis Manibus " illic
 404 marmora secta lego, quacumque Latina vetustos
 405 custodit cineres densisque Salaria bustis.
 406 Dic, quibus hunc scribis titulum, nisi quod trucis Orci
 407 imperium verae ceu majestatis adoras ?
 408 En quibus inplicita squalebat regia summi
 409 imperii tractis majorum ab origine sacris,
 410 cum princeps, gemini bis victor caede tyranni,
 411 Pulchra triumphali respexit moenia vultu.
 412 Nubibus obsessam nigrantibus aspicit urbem ;
 413 noctis obumbratae caligine turbidus aer
 414 arcebat liquidum septena ex arce serenum.
 415 Ingemuit miserans et sic ait : " Exue tristes,
 416 fida parens, habitus ! Equidem praedivite cultu
 417 inlustrata cluis, spoliisque insigne superbis

418 attollis caput, et multo circumfluis auro.
419 Sed nebulis propter volitantibus obsitus alti
420 verticis horret apex, ipsas quoque livida gemmas
421 lux hebetat, spissusque dies et fumus ob ora
422 subfusus rutilum frontis diadema retundit.
423 Obscuras video tibi circumferrier umbras,
424 caeruleasque animas atque idola nigra volare.
425 Censeo sublimem tollas super aera vultum,
426 sub pedibusque tuis nimbose elementa relinquant.
427 Omne quod ex mundo est, tibi subjacet ; hoc Deus ipse
428 constituit, cujus nutu dominaris et orbi
429 imperitas et cuncta potens mortalia calcas.
430 Non decet ut submissa oculos regina caducum
431 contemplare solum, majestatemque requiras
432 circa humiles rerum partes, quibus ipsa superstas.
433 Non patiar, veteres teneas ut me duce nugas,
434 ut cariosorum venereris monstra deorum.
435 Si lapis est, senio dissolvitur, aut crepat ictu
436 percussus tenui ; mollis si brattea gypsum
437 texerat, infido rarescit gluttime sensim ;
438 Si formam statuæ lamnis conmisit aenis
439 lima terens, aut in partem cava membra gravato
440 pondere curvantur, scabra aut aerugo peresam
441 conficit effigiem, crebroque foramine rumpit.
442 Nec tibi terra deus, caeli nec sit deus astrum,
443 nec deus oceanus, nec vis quae subter operta est,
444 infernis triste ob meritum damnata tenebris ;
445 sed nec virtutes hominum deus, aut animarum
446 spirituumve vagae tenui sub imagine formae.
447 Absit ut umbra deus tibi sit geniusve locusve,
448 aut deus aerias volitans fantasma per auras.
449 Sint haec barbaricis gentilia numina pagis,
450 quos penes omne sacrum est quidquid formido tremendum
451 suaserit, horrificos quos prodigialia cogunt
452 credere monstra deos, quos sanguinolentus edendi
453 mos juvat, ut pinguis luco lanietur in alto
454 victima, visceribus multa inter vina vorandis.
455 At te, quae domitis leges ac jura dedisti
456 gentibus, instituens, magnus qua tenditur orbis,
457 armorum morumque feros mansuescere ritus,
458 indignum ac miserum est in religione tenenda
459 Hoc sapere, inmanes populi de tnoere ferino
460 quod sapiunt, nullaque rudes ratione sequuntur.
461 Seu nos procinctus maneat, seu pace quietas
462 dictemus leges, seu debellata duorum
463 colla tyrannorum media calcemus in urbe,
464 agnoscas, regina, libens mea signa necesse est,
465 in quibus effigies crucis aut gemmata refulget,
466 aut longis solido ex auro praefertur in hastis.
467 Hoc signo invictus transmissis Alpibus ultor
468 servitium solvit miserabile Constantinus,
469 cum te pestifera premeret Maxentius aula.
470 Lugebas longo damnatos carcere centum,
471 ut scis ipsa, patres. Aut sponsus foedera pacta
472 intercepta gemens diroque satellite rapta
473 inmersus tenebris dura inter vincla luebat,
474 aut, si nupta, torum regis conscendere jussa,
475 coeperat inpurum domini oblectare furorem,

476 Morte maritalis dabat indignatio poenas.
477 Plena puellarum patribus ergastula saevi
478 principis ; abducta genitor si virgine mussans
479 tristius ingemuit, non ille inpune dolorem
480 prodidit aut confessa nimis suspiria traxit.
481 Testis christicolae ducis adventantis ad urbem
482 Mulvius, exceptum Tiberina in stagna tyrannum
483 praecipitans, quam victriccia viderit arma
484 majestate regi, quod signum dextera vindex
485 praetulerit, quali radiarint stemmate pila :
486 Christus purpureum gemmanti textus in auro
487 signabat labarum, clipeorum insignia Christus
488 scripserat, ardebat summis crux addita cristis
489 ipse senatorum meminit clarissimus ordo,
490 qui tunc concreto processit crine, catenis
491 squalens carcereis aut nexus conpede vasta,
492 complexusque pedes victoris ad inclyta flendo
493 procubuit vexilla jacens. Tunc ille senatus
494 militiae ultricis titulum Christique verendum
495 notnen adoravit, quod conlucebat in armis.
496 Ergo cave, egregium caput orbis, inania post haec
497 prodigia esse deos solito tibi fingere cultu,
498 atque experta Dei virtutem spernere veri !
499 Deponas jam festa velim puerilia, ritus
500 ridiculos, tantoque indigna sacraria regno.
501 Marmora tabenti respergine tincta lavate,
502 proceres ! Liceat statuas consistere puras,
503 artificum magnorum opera ; haec pulcherrima nostrae
504 ornamenta fiant patriae, nec decolor usus
505 in vitium versae monumenta coinquinet artis."
506 Talibus edictis urbs informata refugit
507 errores veteres, et turbida ab ore vieto
508 nubila discussit, jam nobilitate parata
509 aeternas temptare vias, Christumque vocante
510 magnanimo ductore sequi et spem mittere in aevum.
511 Tunc primum senio docilis sua saecula Roma
512 erubuit, pudet exacti jam temporis, odit
513 Praeteritos foedis cum religionibus annos.
514 Mox, ubi, contiguos fossis muralibus agros
515 sanguine justorum innocuo maduisse recordans,
516 invidiosa videt tumulorum milia circum,
517 tristis iudicii mage paenitet, ac dicionis
518 effrenis nimiaeque sacris pro turpibus irae.
519 Compensare cupit teterrima vulnera laesae
520 justitiae sero obsequio veniaque petenda ;
521 ne tanto imperio maneat, pietate repulsa,
522 crimen saevitiae, monstrata piacula quaerit,
523 inque fidem Christi pleno transfertur amore.
524 Laurea victoris Marii minus utilis urbi,
525 cum traheret Numidam populo plaudente Jugurtham,
526 nec tantum Arpinas consul tibi, Roma, medellae
527 contulit extincto justa inter vincla Cethego,
528 quantum praecipuus nostro sub tempore princeps
529 prospexit tribuitque boni : multos Catilinas
530 Ille domo pepulit, non saeva incendia tectis
531 aut sicas patribus, sed tartara nigra animabus
532 internoque hominum statui tormenta parantes.
533 Errabant hostes per templa, per atria passim,

534 Romanumque forum et Capitolia celsa tenebant,
 535 qui conjuratas ipsa ad vitalia plebis
 536 moliti insidias, intus serpente veneno,
 537 consuerant tacitis pestem miscere medullis.
 538 Ergo triumphator latitanti ex hoste togatus
 539 clara tropea refert sine sanguine, remque Quirini
 540 adsuescit supero pollere in saecula regno.
 541 Denique nec metas statuit nec tempora ponit,
 542 imperium sine fine docet, ne Romula virtus
 543 jam sit anus, norit ne gloria parta senectam.
 544 Exultare patres videas, pulcherrima mundi
 545 lumina, conciliumque senum gestire Catonum
 546 candidiore toga niveum pietatis amictum
 547 sumere, et exuvias deponere pontificales.
 548 Jamque ruit, paucis Tarpeia in rupe relictis,
 549 ad sincera virum penetralia Nazareorum
 550 atque ad apostolicos Evandria curia fontes,
 551 Amniadum suboles et pignera clara Proborum.
 552 Fertur enim ante alios generosus Anicius urbis
 553 inlustrasse caput (sic se Roma incllyta jactat).
 554 Quin et Olibriaci generisque et nominis heres.
 555 Adjectus fastis, palmata insignis abolla,
 556 martyris ante fores Bruti submittere fasces
 557 ambit, et Ausoniam Christo inclinare securem.
 558 Non Paulinorum, non Bassorum dubitavit
 559 prompta fides dare se Christo, stirpemque superbam
 560 gentis patriciae venturo attollere saeclo.
 561 Jam quid plebicolas percurram carmine Gracchos,
 562 jure potestatis fultos et in arce senatus
 563 praecipuos, simulacra deum jussisse revelli,
 564 cumque suis pariter lictoribus omnipotenti
 565 suppliciter Christo se consecrasse regendos ?
 566 Sescentas numerare domos de sanguine prisco
 567 nobilium licet, ad Christi signacula versas,
 568 turpis ab idolii vasto emersisse profundo.
 569 Si persona aliqua est aut si status urbis, in his est ;
 570 Si formam patriae facit excellentior ordo,
 571 hi faciunt, juncta est quotiens sententia plebis,
 572 atque unum sapiunt plures simul et potiores.
 573 Respice ad inlustrem, lux est ubi publica, cellam ;
 574 vix pauca invenies gentilibus obsita nugis
 575 ingenia obtritros aegre retinentia cultus,
 576 et quibus exactas placeat servare tenebras,
 577 splendentemque die medio non cernere solem.
 578 Posthinc ad populum converte oculos ! Quota pars est,
 579 Quae Jovis infectam sanie non despuat aram ?
 580 Omnis qui celsa scandit cenacula vulgus,
 581 quique terit silicem variis discursibus atram,
 582 et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,
 583 aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
 584 quo cinis ille latet genitoris amabilis obses,
 585 coetibus aut magnis Laterani adcurrit ad aedes,
 586 unde sacrum referat regali chrismate signum.
 587 Et dubitamus adhuc Romam tibi, Christe, dicatam
 588 in leges transisse tuas, omnique volentem
 589 cum populo et summis cum civibus ardua magni
 590 jam super astra poli terrenum extendere regnum ?
 591 Nec moveor quod pars hominum rarissima clausos

592 Non aperit sub luce oculos et gressibus errat.
593 Quamlibet, inlustres meritis et sanguine clari,
594 praemia virtutum, titulis et honoribus aucti,
595 ardua rettulerint, fastorumque arce potiti
596 annales proprio signarint nomine chartas,
597 atque inter veteres cera numerentur et aere,
598 adtamen in paucis, jam deficiente caterva,
599 nec persona sita est patriae nec curia constat,
600 et quodcumque fovent studii, privata voluntas
601 ac jam rara tenet ; sed publica vota reclamant
602 dissensu celebri, trepidum damnantia murmur.
603 Si consulta patrum subsistere conscriptorum
604 Non aliter licitum prisco sub tempore, quam si
605 ter centum sensisse senes legerentur in unum,
606 servemus leges patrias ; infirma minoris
607 vox cedat numeri, parvaque in parte silescat.
608 Aspice quam pleno subsellia nostra senatu
609 decernant infame Jovis pulvinar et omne
610 idolium longe purgata ex urbe fugandum !
611 Qua vocat egregii sententia principis, illuc
612 libera cum pedibus tum corde frequentia transit.
613 Nec locus invidiae est ; nullum vis aspera terret ;
614 ante oculos sic velle patet, cunctique probatum,
615 Non jussum, sola capti ratione sequuntur.
616 Denique, pro meritis terrestribus aequa rependens
617 munera, sacricolis summos inperit honores
618 dux bonus, et certare sinit cum laude suorum,
619 nec pago implicitos per debita culmina mundi
620 ire viros prohibet, quoniam caelestia nunquam
621 terrenis solitum per iter gradientibus obstant.
622 Ipse magistratum tibi consulis, ipse tribunal
623 contulit, auratumque togae donavit amictum,
624 cujus religio tibi displicet, o pereuntum
625 adsertor divum, solus qui restituendos
626 Vulcani Martisque dolos Venerisque peroras,
627 Saturnique senis lapides, Phoebique furores,
628 Iliacae matris Megalesia, Bacchica Nysi,
629 Isidis amissum semper plangentis Osirim
630 mimica, ridendaque suis sollemnia calvis,
631 et quascumque solent Capitolia claudere larvas.
632 O linguam miro verborum fonte fluentem,
633 Romani decus eloquii, cui cedat et ipse
634 Tullius, has fundit dives facundia gemmas !
635 Os dignum, aeterno tinctum quod fulgeat auro,
636 Si mallet laudare Deum, cui sordida monstra
637 praetulit et liquidam temeravit crimine vocem !
638 Haud aliter quam si rastris quis temptet eburnis
639 caenosum versare solum, limoque madentes
640 excolere aureolis si forte ligonibus ulvas :
641 splendorem dentis nitidi scrobis inquinat atra,
642 et pretiosa acies squalenti sordet in arvo.
643 Non vereor ne me nimium confidere quisquam
644 arguat, ingeniique putet luctamen inire ;
645 sum memor ipse mei satis et mea frivola novi ;
646 Non ausim conferre pedem, nec spicula tantae
647 indocilis fandi conjecta lacescere linguae.
648 Inlaesus maneat liber, excellensque volumen
649 obtineat partam dicendi fulmine famam.

650 Sed liceat tectum servare a vulnere pectus,
 651 oppositaque volans jaculum depellere parma.
 652 Nam si nostra fides saeclo jam tuta quieto
 653 viribus infestis hostilique arte petita est,
 654 cur mihi fas non sit lateris sinuamine flexi
 655 ludere ventosas jactu pereunte sagittas ?
 656 Sed jam tempus iter longi cohibere libelli,
 657 ne tractum sine fine ferat fastidia carmen.

LIBER SECVNDVS

PRAEFATIO

S2_1 v.1 Simon, quem vocitant Petrum,
 2 summus discipulus Dei,
 3 lucis forte sub exitu,
 4 cum Vesper croceus rubet,
 5 curvam vulserat ancoram,
 6 captans flamina linteis
 7 et transnare volens fretum.
 8 Nox ventum movet obvium,
 9 fundo qui mare misceat,
 10 jactatam quatiat ratem.
 11 Clamor nauticus aethera
 12 plangens atque ululans ferit
 13 cum stridore rudentium.
 14 Nec quidquam suberat spei
 15 mergendis prope naufragis,
 16 cum Christum procul aspicit
 17 pallens turba periculis
 18 calcantem pedibus mare,
 19 ac si per solidam viam
 20 siccum litus obambulet.
 21 Haec miracula ceteri
 22 vectores pavidi stupent ;
 23 solus non trepidus Petrus
 24 agnoscit dominum poli
 25 Terraeque et maris invii,
 26 cujus omnipotentiae est
 27 plantis aequora subdere.
 28 Tendit suppliciter manus,
 29 Notum subsidium rogat.
 30 Ast ille placide adnuens
 31 puppi ut desiliat jubet.
 32 Jussis obsequitur Petrus,
 33 sed vestigia fluctibus
 34 summis tinguere coeperat,
 35 et lapsante gradu pedes
 36 pessum mergere lubricos.
 37 Mortalem Deus increpat,
 38 quod sit non stabili fide,
 39 nec calcare fluentia
 40 nec Christum valeat sequi.
 41 Tutn dextra famulum levat
 42 sistitque, et docet ingredi
 43 tergum per tumidum freti.
 44 Sic me tuta silentia
 45 egressum dubiis loquax

46 infert lingua periculis,
 47 Non, ut discipulum Petrum,
 48 fidentem et merito et fide,
 49 sed quem culpa frequens levem
 50 volvat per freta naufragum.
 51 Sum plane temerarius,
 52 qui noctis mihi conscius
 53 quam vitae in tenebris ago,
 54 puppem credere fluctibus
 55 tanti non timeam viri,
 56 quo nunc nemo disertior.
 57 Exultat, fremit, intonat,
 58 ventisque eloquii tumet ;
 59 cui mersare facillimum est
 60 tractandae indocilem ratis,
 61 ni tu, Christe potens, manum
 62 Dextro numine porrigas,
 63 facundi oris ut inpetus
 64 Non me fluctibus obruat,
 65 sed sensim gradiens vadis
 66 insistam fluitantibus.

LIBER SECUNDUS

S2_2 v.1 Hactenus et veterum cunabula prima deorum,
 2 et causas quibus error hebes conflatus in orbe est
 3 diximus, et nostro Romam jam credere Christo ;
 4 Nunc objecta legam, nunc dictis dicta refellam.
 5 Unde igitur coepisse ferunt, aut ex quibus orsum,
 6 quo mage sancta ducum corda inlice flecteret arte ?
 7 Armorum dominos vernantes flore juventae,
 8 inter castra patris genitos, sub imagine avita
 9 eductos, exempla domi congesta calentes,
 10 orator catus instigat, ceu classica belli
 11 clangeret, exacuitque animos et talia jactat :
 12 "Si vobis vel parta, viri, victoria cordi est
 13 vel parienda dehinc, templum dea virgo sacratum
 14 obtineat vobis regnantibus ! Ecquis amicus
 15 hostibus hanc vestro sancte negat esse colendam
 16 imperio, cui semper adest, quod laudibus inplet ? "
 17 Haec ubi legatus, reddunt placidissima fratrum
 18 ora ducum : "Scimus quam sit victoria dulcis
 19 fortibus, Ausoniae vir facundissime linguae ;
 20 sed quibus illa modis, qua sit ratione vocanda,
 21 novimus ; hac primum pueros pater imbuit arte,
 22 hanc genitore suo didicit puer ipse magistro.
 23 Non aris, non farre molae victoria felix
 24 exorata venit ; labor inpiger, aspera virtus,
 25 vis animi excellens, ardor, violentia, cura
 26 hanc tribuunt, durum tractandis robur in armis.
 27 Quae si defuerint bellantibus, aurea quamvis
 28 marmoreo in templo rutilas Victoria pinnas
 29 explicet et multis surgat formata talentis,
 30 non aderit versisque offensa videbitur hastis.
 31 Quid, miles, propriis diffisus viribus aptas
 32 inrita femineae tibimet solacia formae ?
 33 Numquam pinnigeram legio ferrata puellam
 34 vidit, anhelantum regeret quae tela virorum.
 35 Vincendi quaeris dominam ? Sua dextera cuique est,

36 et Deus omnipotens, non pexo crine virago,
37 nec nudo suspensa pede, strophioque recincta,
38 nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.
39 Aut vos pictorum docuit manus adsimulatis
40 jure poetarum numen componere monstris,
41 aut lepida ex vestro sumpsit pictura sacello
42 quod variis imitata notis ceraque liquenti
43 duceret in faciem, sociique poematis arte
44 aucta coloratis auderet ludere fucis.
45 Sic unum sectantur iter, sic inania rerum
46 somnia concipiunt et Homerus et acer Apelles
47 et Numa, cognatumque volunt pigmenta, camenae,
48 idola : convaluit fallendi trina potestas.
49 Haec si non ita sunt, edatur : cur sacra vobis
50 ex tabulis cerisque poetica fabula praestat ?
51 Cur Berecyntiacus perdit truncata sacerdos
52 inguina, cum pulchrum poesis castraverit Attin ?
53 Cur etiam templo Triviae lucisque sacratis
54 cornipedes arcentur equi, cum Musa pudicum
55 raptarit juvenem volucris per litora curru,
56 idque etiam paries tibi versicolorus adumbret ?
57 Desine, si pudor est, gentilis ineptia, tandem
58 res incorporeas simulatis fingere membris ;
59 desine terga hominis plumis obducere : frustra
60 fertur avis mulier magnusque eadem dea vultur.
61 Vis decorare tuum, ditissima Roma, senatum ?
62 Suspende exuvias armis et sanguine captas,
63 congere caesorum victrix diademata regum,
64 frange repulsorum foeda ornamenta deorum.
65 Tunc tibi non terris tantum victoria parta,
66 sed super astra etiam media servabitur aede."
67 Talia principibus dicta interfantibus ille
68 prosequitur, magnisque tubam concentibus inflat.
69 Allegat morem veterem, nil dulcius esse
70 adfirmat solitis, populosque hominesque teneri
71 lege sua : "Sicut variae nascentibus, inquit,
72 contingunt pueris animae, sic urbibus adfert
73 hora diesque suus, cum primum moenia surgunt,
74 aut fatum aut genium, cujus moderamine regnent."
75 Addit et arcanum rerum verique latebras
76 prosperitate aliqua deprendi posse secundi
77 per documenta boni, si sint felicia quae quis
78 experiendo probet : cessisse parentibus omne
79 idolum semper feliciter et pede dextro.
80 Enumerat longi vim temporis, excitat ipsam,
81 Crinibus albentem niveis et fronte vietam,
82 ore reposcentem querulo sua numina Romam :
83 "Liberata sum, liceat proprio mihi vivere more.
84 Ecquis erit qui mille meos reprehenderit annos ?
85 Uno omnes sub sole siti vegetamur eodem
86 aere ; communis cunctis viventibus aura ;
87 sed qui sit qualisque Deus, diversa secuti
88 quaerimus, atque viis longe distantibus unum
89 imus ad occultum : suus est mos cuique genti,
90 per quod iter properans eat ad tam grande profundum."
91 his tam magnificis tantaque fluentibus arte
92 respondit vel sola Fides, doctissima primum
93 pandere vestibulum verae ad penetralia sectae.

94 Nam cum divinis agimus de rebus, et illum
95 qui vel principio caruit vel fine carebit,
96 quique chao anterior fuerit mundumque creavit,
97 conjectare animo contendimus, exigua est vis
98 humani ingenii tantoque angusta labori.
99 Quippe minor natura aciem si intendere temptet
100 acrius ac penetrare Dei secreta supremi,
101 quis dubitet victo fragilem lassescere visu,
102 vimque fatigatae mentis sub pectore parvo
103 turbari, invalidisque hebetem subcumbere curis ?
104 Sed facilis fidei via provocat Omnipotentem
105 credere, qui bona non tantum praesentia donat,
106 sed ventura etiam longisque intermina saeculis
107 promittit, ne totus eam resolutus inane
108 in nihilum, pereamque brevem post luminis usum.
109 Muneris auctores ipso de munere pendas :
110 aeterna aeternus tribuit, mortalia confert
111 mortalis, divina deus, peritura caducus.
112 Omnia, quae tempus peragit quaeque exitus aufert,
113 vilia sunt brevitatem sui, nec digna perenni
114 largitore, cui propria est opulentia, numquam
115 desinere idque homini dare quod non desinat umquam.
116 Nam si corruptum corrumpendumve Deus quid
117 praestat, habetque nihil quod sit pretiosius istis,
118 pauper et infirmus, et summo indignus honore,
119 et non omnipotens, sed inanis numinis umbra est.
120 Hac ratione fides sapienter conicit, immo
121 non dubitat verum esse Deum, qui, quod sumus et quod
122 vivimus, in laesum semper fore, si mereamur,
123 nos sperare jubet : " Caelestia si placet, inquit,
124 scandere, terrenas animo depellite curas.
125 Nam quantum subjecta situ tellus jacet infra,
126 dividiturque ab humo convexi regia caeli,
127 tantum vestra meis distant mundana futuris,
128 dira bonis, scelerata piis, tenebrosa serenis.
129 Quidquid obire potest, fugiatis censeo, quidquid
130 Naturae ratione capit vitium atque senescit,
131 pro nihilo, in nihilum quia sunt reditura, putetis.
132 Cuncta equidem, quae gignit humus, quae continet, ipse
133 principio institui, nitidoque insignia mundo
134 ornamenta dedi, speciosaque semina finxi.
135 Sed tamen esse modum volui, parcisque fruenda
136 moribus indulsi, quantum moribundus et aeger
137 corporis ac vitae volucris sibi posceret usus,
138 Non ut captus homo studiis et inaniter ardens
139 duceret otiose bonum positum in dulcedine rerum
140 et specie tenui, quas currere tempore jussi.
141 Atque aevum statui, sub quo generosa probarem
142 pectora, ne torpens et non exercita virtus
143 robur enervatum gereret sine laude palestra.
144 Inlecebrosus enim sapor est et pestifer horum,
145 quae, dum praetereunt, miro oblectamine mentes
146 implicitas vincetasque tenent. Vincenda voluptas,
147 elaqueanda animi constantia, ne retinaclis
148 mollibus ac lentis nexa et captiva prematur.
149 Luctandum summis conatibus, inter acerba
150 sectandum virtutis iter, ne suavia fluxae
151 condicionis amet, nimium ne congerat aurum,

152 ne varios lapidum cupide spectare colores
153 ambitiosa velit, ne se popularibus auris
154 ostendet pulchroque inflata tumescat honore,
155 ne natale solum, patrii ne jugera ruris
156 tendat, et externos animum diffundat in agros,
157 et ne corporeis addicat sensibus omne
158 quod vult aut quod agit, ne praeferat utile justo,
159 spemque in me omnem statuatur. Numquam peritura
160 quae dederit, longoque die mea dona trahenda. "
161 Haec igitur spondente Deo, quis fortis et acer
162 virtutisque capax breve quidque perennibus in se
163 praetulerit, vel quis sapiens potiora putarit
164 gaudia membrorum quam vivae praemia mentis ?
165 Nonne hominem ac pecudem distantia separat una,
166 quod bona quadrupedum ante oculos sita sunt, ego contra
167 spero quod extra aciem longum servatur in aevum ?
168 Nam si tota mihi cum corpore vita peribit,
169 nec poterit superesse meum post funera quidquam,
170 quis mihi regnator caeli, quis conditor orbis,
171 quis Deus, aut quae jam merito metuenda potestas ?
172 Ibo per impuros fervente libidine luxus,
173 incestabo toros, sacrum calcabo pudorem,
174 infitiabor habens aliquod sine teste propinqui
175 depositum, tenues avidus spoliabo clientes,
176 longaequam perimam magico cantamine matrem
177 (tardat anus dominum dilata morte secundum).
178 Nec formido malum : falluntur publica jura ;
179 lex armata sedet, sed nescit crimen opertum ;
180 aut, si res pateat, iudex corrumpitur auro :
181 rara reos justa percipit poena securi.
182 Sed quid ego haec meditor ? Revocat Deus ecce severa
183 maiestate minax, negat interitura meorum
184 per mortem monumenta operum : " Non occidet, inquit,
185 interior qui spirat homo, luet ille perenne
186 supplicium, quod subjectos male rexit artus.
187 Nec mihi difficile est liquidam circumdare flammis
188 naturam quamvis perflabilis illa feratur,
189 more Noti : capiam tamen et tormenta adhibebo,
190 ipse incorporeus ac spirituum sator unus.
191 Quin et corporibus parilis consortia poenae
192 decernam, possum quoniam renovare favillas
193 antiquam in faciem, nec desperanda potestas :
194 qui potui formare novum, reparabo peremptum.
195 Non desunt exempla meae virtutis in ipsis
196 seminibus : natura docet revirescere cuncta
197 post obitum. Siccantur enim, pereunte vigore
198 quo vivere prius ; tunc sicca et mortua sulcis
199 aut foveis mandata latent, et more sepulcri
200 obruta de tumulis redivivo germine surgunt.
201 Numquid nosse potes vel conjectare quis istud
202 tam sollers opifex struat, aut quae vis agat intus ?
203 Nil vos, o miseri, physicorum dogmata fallant !
204 En ego gignendi dominus ac restituendi
205 quod periiit fluxitque potens ; amentia quaeque
206 in veteres formas aut flore aut fronde reduco :
207 idque ipsum quandoque homini facturum, inani
208 surgat ut ex cinere, structuraque pristina constet,
209 quae mihi pro meritis vel per tormenta rependat

210 crimina, vel sutnmae virtutis in arce coruscet,
 211 Non peritura dehinc, quacumque in sorte manebit.
 212 Interea, dum mixta viget substantia in unum,
 213 sit memor auctoris proprii, veneretur et oret
 214 artificem submissa suum. Non condidit alter
 215 halantis animae figmentum , et corporis alter ;
 216 nec bona praesentis vitae numerosa gubernant
 217 numina ; non alius segetes et spicea farra
 218 subpeditat deus, aut alius dat musta racemis,
 219 purpureumque gravi fundit de palmite sucum ;
 220 ipse ego sum, virides oleas pinguescere bacis
 221 qui facio, Graia quas Pallade fingitis ortas,
 222 et qui Lucinas tribuo nascentibus horas.
 223 Duplex lege mea per mutua foedera sexus
 224 gignere amat subolem generisque propagine gaudet ;
 225 quem vos lascivis violatis amoribus ignem
 226 et stupra vestra deae Veneris praetexitis umbra.
 227 Unus ego elementa rego, nec mole laboris,
 228 ut miser infirmusve aliquis fragilisve, fatigor.
 229 Lux inmensa mihi est et non resolubilis aetas,
 230 sensibus et vestris haud intellecta vetustas.
 231 Inde ministeriis ad tot moderamina mundi
 232 Non egeo, nec participes sociosve requiro.
 233 Porro autem angelicas legiones, quas mea fecit
 234 dextera, nosse meum est, et quae natura creatis
 235 subsistat, qualesque mihi servantur ad usus.
 236 Tu me praeterito meditaris numina mille,
 237 quae simules parere meis virtutibus, ut me
 238 per varias partes minuas ; cui nulla recidi
 239 pars aut forma potest, quia sum substantia simplex,
 240 nec pars esse queo. Solis divisio rebus
 241 compositis factisque subest ; me nemo creavit,
 242 ut scindi valeam, cunctorum conditor unus.
 243 Crede, quod ex nihilo formavi, pars mea non est.
 244 Quare age, mortalis, soli mihi construe templum,
 245 meque unum venerare Deum. Caementa remitto,
 246 et quae saxa Paros secat, et quae Punica rupis,
 247 quae viridis Lacedaemon habet maculosaque Synna.
 248 Nativum nemo scopuli mihi dedicet ostrum,
 249 templum mentis amo, non marmoris ; aurea in illo
 250 fundamenta manent fidei, structura nivali
 251 consurgit pietate nitens, tegit ardua culmen
 252 Justitia, interius spargit sola picta rubenti
 253 Flore pudicitiae pudor almus et atria servat.
 254 Haec domus apta mihi est, haec me pulcherrima sedes
 255 accipit, aeterno caelestique hospite digna.
 256 Nec novus hic locus est ; fluxit mea gloria in artus,
 257 et lux vera Dei, Deus inlustravit alumnam
 258 materiem, corpusque parens habitabile fecit
 259 ipse sibi, placito ut posset requiescere templo.
 260 Condideram perfectum hominem, spectare superna
 261 mandaram totis conversum sensibus in me,
 262 recto habitu celsoque situ et sublime tuentem ;
 263 sed despexit humum, seque inclinavit ad orbis
 264 divitias, pepulitque meum de pectore numen.
 265 Restituendus erat mihimet : summissus in illum
 266 spiritus ipse meus descendit, et edita limo
 267 viscera divinis virtutibus informavit,

268 jamque hominem adsumptum summus Deus in deitatem
 269 transtulit, ac nostro docuit recalescere cultu."
 270 Scire velim praecepta Patris quibus auribus haec tu
 271 accipias, Italiae censor doctissime gentis.
 272 An veterem tantum morem ratione relicta
 273 elegis, et dici id patitur sapientis acumen
 274 Ingeniumque viri : " Potior mihi pristinus est mos,
 275 quam via justitiae, pietas quam prodita caelo,
 276 quamque fides veri, rectae quam regula sectae " ?
 277 Si quidquid rudibus mundi nascentis in annis
 278 mos habuit sancte colere ac servare necesse est,
 279 omne revolvamus sua per vestigia saeculum
 280 usque ad principium ; placeat damnare gradatim
 281 quidquid posterius successor repperit usus.
 282 Orbe novo nulli subigebant arva coloni :
 283 quid sibi aratra volunt, quid cura superflua rastris ?
 284 I lignis melius saturatur glandibus alvus.
 285 Primi homines cuneis scindebant fissile lignum :
 286 decoquat in massam fervens strictura secures
 287 rursus, et ad proprium restillet vena metallum !
 288 Induvias caesae pecudes, et frigida parvas
 289 praebat spelunca domos : redeamus ad antra,
 290 pellibus insutis hyrtos sumamus amictus !
 291 Inmanes quondam populi feritate subacta
 292 edomiti jam triste fremant, iterumque ferinos
 293 in mores redeant, atque ad sua prisca recurrant !
 294 Praecipitet Scythica juvenis pietate vietum
 295 votivo de ponte patrem (sic mos fuit olim) !
 296 Caedibus infantum fument Saturnia sacra,
 297 flebilibusque truces resonent vagitibus arae !
 298 Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo
 299 (sic tradunt habitasse Remum) ! Regalia faeno
 300 fulcra supersternant, aut pelle Libystidis ursae
 301 compositam chlamydem villosa corpore gestent !
 302 Talia Trinacrius ductor vel Tuscus habebant.
 303 Roma antiqua sibi non constat, versa per aevum,
 304 et mutata sacris, ornata, legibus, armis.
 305 Multa colit, quae non coluit sub rege Quirino.
 306 Instituit quaedam melius, nonnulla refugit,
 307 et morem variare suum non destitit, et quae
 308 pridem considerat jura, in contraria vertit.
 309 Quid mihi tu ritus solitos, Romane senator,
 310 objectas, cum scita patrum populique frequenter
 311 instabilis placiti sententia flexa novarit ?
 312 Nunc etiam, quotiens solitis decedere prodest,
 313 Praeteritosque habitus cultu damnare recenti,
 314 gaudemus conpertum aliquid tandemque resectum
 315 quod latuit ; tardis semper processibus aucta
 316 crescit vita hominis et longo proficit usu.
 317 Sic aevi mortalis habet se mobilis ordo,
 318 sic variat natura vices : infantia repit ;
 319 infirmus titubat pueri gressusque animusque ;
 320 sanguine praecalido fervet nervosa juvena ;
 321 mox stabilita venit maturi roboris aetas ;
 322 ultima consiliis melior, sed viribus aegra,
 323 corpore subcumbit mentem purgata senectus.
 324 His genus humanum per dissona tempora duxit
 325 curriculis aevum mutabile, sic hebes inter

326 primitias mersumque solo ceu quadrupes egit ;
 327 [quadrupedis pueri lactantia viscera traxit.]
 328 Mox tenerum docili ingenio jamque artibus aptum
 329 noscendis varia rerum novitate politum est ;
 330 inde tumens vitiis calidos adolevit in annos,
 331 donec decocto solidaret robore vires ;
 332 tempus adest ut jam sapiat divina, serenae
 333 mentis consilio vivacius abdita sollers
 334 quaerere, et aeternae tandem invigilare saluti.
 335 Quamquam, si tantus amor est et cura vetusti
 336 moris, et a prisco placet haud discedere ritu,
 337 exstat in antiquis exemplum nobile libris,
 338 jam tunc diluvii sub tempore vel prius uni
 339 inseruisse Deo gentem, quae prima recentes
 340 incoluit terras, vacuoque habitavit in orbe ;
 341 unde genus ducit nostrae porrecta propago
 342 stirpis, et indigenae pietatis jura reformat.
 343 Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipsum
 344 sanguinis Hectorei populum probo tempore longo
 345 Non multos coluisse deos, rarisque sacellis
 346 contentum paucas posuisse in collibus aras.
 347 Innumeros post deinde deos virtute subactis
 348 urbibus et claris peperit sibi Roma triumphis ;
 349 inter fumantes templorum armata ruinas
 350 dextera victoris simulacra hostilia cepit,
 351 et captiva domum venerans ceu numina vexit.
 352 Hoc signum rapuit bimaris de strage Corinthi,
 353 illud ab incensis in praedam sumpsit Athenis,
 354 quasdam victa dedit capitis Cleopatra canini
 355 effigies, quasdam domitis Hammonis harenis
 356 Syrtica cornutas facies habuere tropaea.
 357 Roma triumphantis quotiens ducis inclyta currum
 358 plausibus excepit, totiens altaria divum
 359 addidit, et spoliis sibimet nova numina fecit :
 360 numina quae, patriis cum moenibus eruta, nullum
 361 praesidium potuere suis adferre sacellis.
 362 Cernis ut antiqui semper vestigia moris
 363 gressibus incertis varie titubasse probentur,
 364 adsciscendo deos majoribus inconpertos,
 365 seque peregrina sub religione dicasse.
 366 Nec ritus servasse suos ? Quodcumque sacrorum est
 367 exulat, externumque inimicam venit in urbem.
 368 Frustra igitur solitis, prava observatio, inhaeres ;
 369 Non est mos patrius, quem diligis, improba, non est.
 370 Sed sollers orator ait fataliter urbem
 371 sortitam quonam genio proprium exigat aevum.
 372 Cunctis nam populis seu moenibus inditur, inquit,
 373 aut fatum aut genius, nostrarum more animarum,
 374 quae sub disparili subeunt nova corpora sorte.
 375 Jam primum, qui sit genius, vel qui status illi
 376 competat, ignoro, quid possit et unde oriatur,
 377 spiritus informis sine corpore, formave et ulla
 378 sit species, et quid sapiat, quae munera curet.
 379 Contra animas hominum venis vitalibus intus
 380 sic interfusas intellego, sanguis ut ex his
 381 accipiat motumque levem tenerumque vaporem,
 382 unde pererratis vegetet praecordia membris,
 383 frigida succendat, riget arida, dura relaxet.

384 Sic hominis vitam sibi temperat atque gubernat
385 vivida mens, quam tu ficto componere temptas
386 murorum genio, qui nusquam est nec fuit umquam.
387 Quin et corporibus versat mens viva regendis
388 summum consilium, fida ut tutacula nudis
389 invalidisque paret, metuenda pericula vitet,
390 utile prospiciat, varias agitetur ad artes,
391 consultet cui se domino submittat, et orbis
392 quem putet auctorem, quem rerum summa sequatur.
393 At tuus hic urbis genius, dicas volo, quando
394 coepit adhuc parvae primum se infundere Romae ?
395 Fluxit ab uberibus nemorosa in valle lupinis,
396 infantesque aluit, dum nascitur ipse, gemellos ?
397 An, cum vulturibus volitans, ignota per auras
398 umbra repentinam traxit de nube figuram ?
399 Culminibus summis sedet, an penetrabilia servat ?
400 Instituit mores et jura forensia condit,
401 an castrorum etiam fossis intervenit, acres
402 cogit ad arma viros, lituis ciet, urget in hostem ?
403 Quae quis non videat sapientum digna cachinno ?
404 Fingamus tamen esse aliquam, quae talia curet,
405 umbram sive animam, per quam res publica fatum
406 hauserit, et calidis animetur tota medullis.
407 Cur non haec eadem de religione colenda
408 consultat, cur non suspectat libera caelum,
409 cur sibi praescriptum non conmutabile fatum
410 ut captiva putat, genesis cur vincula fingit,
411 cui jam nolle licet, quod tunc voluisse licebat,
412 erroresque abolere suos ac flectere sensus ?
413 Sic septingentis erravit circiter annis,
414 lubricaque et semper dubitans quae forma placeret
415 imperii, quae regnandi foret aequa potestas.
416 Regius exortam jam tunc habuit status urbem
417 Non sine grandaevis curarum in parte locatis ;
418 mox proceres de stirpe senum tractasse videmus
419 clavum consilii ; plebeias inde catervas
420 conlatas patribus mixtim dicionibus aequis
421 imperitasse diu belloque et pace regendis.
422 Consule nobilitas vigit, plebs fisa tribuno est.
423 Displicet hic subito status, et bis quina creantur
424 summorum procerum fastigia, quos duodeni
425 circumstant fasces simul et sua quemque securis.
426 Rursus se geminis reddit ductoribus omnis
427 publica res, et consulibus dat condere fastos ;
428 ultima sanguineus turbavit saecla triumvir.
429 Fluctibus his olim fatum geniusve animusve
430 publicus erravit ; tandem deprendere rectum
431 doctus iter, caput augustum diademate cinxit,
432 appellans patrem patriae, populi atque senatus
433 rectorem, qui militiae sit ductor, et idem
434 dictator, censorque bonus morumque magister,
435 tutor opum, vindex scelerum, largitor honorum.
436 Quod si tot rerum gradibus, totiens variatis
437 consiliis, aegre tandem pervenit ad illud
438 quod probet, ac sancto reverentia publica servet
439 foedere, quid dubitat divina agnoscere jura,
440 ignorata prius sibimet, tandemque resecta ?
441 Gratemur, jam non dubitat, nam subdita Christo

442 servit Roma Deo, cultus exosa priores.
443 Romam dico viros, quos mentem credimus urbis,
444 Non genium, cujus frustra simulatur imago.
445 Quamquam cur genium Romae mihi fingitis unum,
446 cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
447 adsignare suos genios, perque omnia membra
448 Urbis perque locos geniorum milia multa
449 fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra ?
450 Restat ut et fatum similis dementia cunctis
451 aedibus inponat, paries ut quisque sub astro
452 fundatus structusque suo, qua sorte maneret,
453 quando autem rueret, primis acceperit horis.
454 Adscribunt saxis Lachesis male fortia fila,
455 tectorumque trabes fuis pendere rotatis
456 credunt, atque ipsis tribuunt decreta tigillis :
457 ceu distet cujus stellae sit fraxinus ortu
458 eruta, quae summum conscenderet ardua culmen !
459 Denique nulla hominum res est, nulla actio mundi,
460 cui non fatalem memorent incumbere sortem.
461 Quae quia constituunt, dicant cur condita sit lex
462 bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
463 quae prohibet peccare reos, quos ferrea fata
464 cogunt ad facinus et inevitabile mergunt.
465 Quin et velle adigunt, pravum insinuantia votum,
466 ne liceat miseris vetitum committere nolle.
467 Cedite, si pudor est, gladiumque retundite vestrum,
468 aspera nil meritos poenis plectentia jura ;
469 antrum carcerum dissolvite, corpora sub quo
470 agminis innocui fato peccante tenetis !
471 Nemo nocens, si fata regunt quod vivitur ac fit ;
472 immo nocens, quicumque volens, quod non licet, audet ;
473 alterutrum quia velle suum est, nec fata reatum
474 inponunt homini, sed fit reus ipse suoapte
475 arbitrio, placitumque nefas et facta rependit
476 in pia suppliciis, merito, non sorte peremptus.
477 Quisque putat fato esse locum. Sciat omnipotentem
478 nosse Deum nulli vetitum fatalibus astris,
479 nec mathesis praescripto aliquo pia vota repelli.
480 Spirat enim majora animus, seque altius effert
481 sideribus, transitque vias et nubila fati,
482 et momenta premit pedibus, quaecumque putantur
483 figere propositam natali tempore sortem.
484 Huc ades, omne hominum genus, huc concurrite et urbes.
485 Lux immensa vocat, factorem noscite vestrum !
486 Libera secta patet : nil sunt fatalia, vel, si
487 sunt aliqua, opposito vanescunt irrita Christo.
488 "Sed multi duxere dei per prospera Romam,
489 quos colit ob meritum magnis donata triumphis. "
490 Ergo age, bellatrix, quae vis subjecerit, ede,
491 Europam Libyamque tibi, dic nomina divum.
492 Juppiter, ut Cretae domineris, Pallas, ut Argis,
493 Cynthius, ut Delphis, tribuerunt omine dextro.
494 Isis Nilicolas, Rhodios Cytherea reliquit,
495 venatrix Ephesum virgo, Mars dedit Hebrum,
496 destituit Thebas Bromius, concessit et ipsa
497 Juno suos Phrygiis servire nepotibus Afros,
498 et, quam subjectis dominam dea gentibus esse,
499 Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque

500 jussit Romuleis addictam vivere frenis.
 501 Perfidiane deum indigenum cecidere tot urbes
 502 destructaeque jacent ipsis prodentibus arae ?
 503 O pietas, o sancta fides, traduxit alumnos
 504 majestas infida locos et creditur istis
 505 numinibus, quae transfugio meruere sacrari !
 506 An voluit servare suos luctataque multum
 507 religio infestas temptavit pellere turmas
 508 Romanis obnixa globis, sed fortior illam
 509 Virtus luctifico camporum in pulvere fregit ?
 510 Immo ita est, armis et viribus indiga veri
 511 victa superstitio est et inanem gloria fugit.
 512 Sed nec difficilis fuit aut satis ardua genti
 513 natae ad procinctus victoria, frangere inertes
 514 molliaque omnigenum colla inclinare deorum.
 515 Num cum Dictaeis bellum Corybantibus asper
 516 samnitis Marsusque levi sudore gerebat ?
 517 Num mastigophoris oleoque et gymnadis arte
 518 unctis pugilibus miles pugnabat Etruscus ?
 519 Nec petaso insignis poterat Lacedaemone capta
 520 Mercurius servare suas de clade palestras.
 521 Appenninicolam peditem Cybeleius hostis
 522 congressu excipiens Asiam defendere et Idam
 523 qui potuit, cogente acies in proelia Gallo ?
 524 Idalias nisi forte rosas, laurum citharoedi
 525 vatis, silvicolae calamos arcumque puellae
 526 dedere servitio calcataque sacra domare
 527 difficilis operis fuit immensique laboris.
 528 Fluctibus Actiacis signum symphonia belli
 529 Aegypto dederat, clangebat bucina contra ;
 530 institerant tenues cumbae fragilesque phaseli
 531 inter turritas memphitica rostra Liburnas :
 532 nil potuit Serapis deus et latrator Anubis.
 533 Stirpis Iuleae ductore exercitus ardens
 534 praevaluit, gelido quem miserat Algidus axe :
 535 Non armata Venus, non tunc clipeata Minerva
 536 venere auxilio, non divum degener ordo
 537 et patria extorris Romanis adfuit armis.
 538 Victus et ipse prius inimica nec agmina juvat,
 539 Si tamen antiquum norat retinere dolorem.
 540 Sed dicis legisse deos ubi sanctior usus
 541 templorum cultu celebri sine fine maneret,
 542 Aeneadumque ultro victricia signa virorum
 543 regis amore Numae nullo cogente secutos.
 544 Num Diomedis item tentoria et acris Ulixi
 545 castra volens Pallas caesis custodibus arcis
 546 legit, ubi umentis sudaret maesta sigillo ?
 547 Aut quotiens ductor Macetum fortissimus altos
 548 templorum cineres victis cumulavit Amyclis,
 549 optarunt praedis domini se numina capta
 550 misceri Assyriaeque vehi Babylonis ad arcem ?
 551 Non fero Romanum nomen sudataque bella
 552 et titulos tanto quaesitos sanguine carpi :
 553 detrahit invictis legionibus et sua Romae
 554 praemia diminuit, qui, quidquid fortiter actum est,
 555 adscribit Veneri, palmam victoribus aufert.
 556 Frustra igitur currus summo miramur in arcu
 557 quadrijugos, stantesque duces in curribus altis :

558 Fabricios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos,
 559 sub pedibusque ducum captivos poplite flexo
 560 ad juga depressos, manibusque in terga retortis,
 561 et suspensa gravi telorum fragmina trunco,
 562 Si Brennum, Antiochum, Persen, Pyrrhum, Mithridatem,
 563 Flora, Matuta, Ceres et Laurentina subegit !
 564 " His tamen auspiciis successus dextra dederunt
 565 omina laetificos et felix adfuit ales."
 566 Quid sibi vult virtus, quid gloria, si Corvinum
 567 Corvus Apollineus pinna vel gutture juvit ?
 568 Sed tamen hic corvus cur defuit exitiali
 569 forte die, infaustas tegerent cum funera Cannas
 570 oppeteretque super congesta cadavera consul ?
 571 Cur Cremerae in campis cornice vel oscine parra
 572 nemo deum monuit perituros Marte sinistro
 573 tercentum Fabios, vix stirpe superstite in uno ?
 574 Nullane tristificis Tritonia noctua Carrhis
 575 advolitans praesto esse deam praenuntia Crasso
 576 prodidit, aut Paphiam niveae vexere columbae,
 577 cujus inauratum tremere gens Persica limbum ?
 578 Sed video quae te moveant exempla vetustae
 579 virtutis : dicis domitum terraque marique
 580 orbem, res laetas et prospera quaeque retexis,
 581 mille triumphorum memoras ex ordine pompas,
 582 ductaque per mediam spoliolum fercula Romam.
 583 Vis dicam quae causa tuos, Romane, labores
 584 in tantum extulerit, quis gloria fotibus aucta
 585 sic cluat, inpositis ut mundum frenet habenis ?
 586 Discordes linguis populos et dissona cultu
 587 regna volens sociare Deus, subjungier uni
 588 imperio quidquid tractabile moribus esset,
 589 concordique jugo retinacula mollia ferre
 590 constituit, quo corda hominum conjuncta teneret
 591 religionis amor ; nec enim fit copula Christo
 592 digna, nisi implicitas societ mens unica gentes.
 593 Sola Deum novit concordia, sola benignum
 594 rite colit tranquilla patrem : placidissimus illum
 595 foederis humani consensus prosperat orbi,
 596 seditione fugat, saevis exasperat armis,
 597 munere pacis alit, retinet pietate quietata.
 598 Omnibus in terris, quas continet occidialis
 599 Oceanus roseoque Aurora inluminat ortu,
 600 miscebat Bellona furens mortalia cuncta,
 601 armabatque feras in vulnera mutua dextras :
 602 hanc frenaturus rabiem Deus undique gentes
 603 inclinare caput docuit sub legibus hisdem,
 604 Romanosque omnes fieri, quos Rhenus et Hister,
 605 quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Hiberus,
 606 corniger Hesperidum quos interlabitur, et quos
 607 Ganges alit, tepidique lavant septem ostia Nili.
 608 Jus fecit commune pares, et nomine eodem
 609 nexuit, et domitos fraterna in vincla redegit.
 610 Vivitur omnigenis in partibus haud secus ac si
 611 civis congenitos concludat moenibus unis
 612 urbs patria, atque omnes lare conciliemur avito.
 613 Distantes regione plagae divisaque ponto
 614 litora conveniunt, nunc per vadimonia ad unum
 615 et commune forum, nunc per commercia et artes

616 ad coetum celebrem, nunc per genialia fulcra
617 externi ad jus conubii ; nam sanguine mixto
618 textitur alternis ex gentibus una propago.
619 Hoc actum est tantis successibus atque triumphis
620 Romani imperii : Christo jam tunc venienti,
621 crede, parata via est, quam dudum publica nostrae
622 Pacis amicitia struxit moderamine Romae.
623 Nam locus esse Deo quis posset in orbe feroci
624 pectoribusque hominum discordibus et sua jura
625 dissimili ratione tuentibus, ut fuit olim ?
626 Sic inconpositos humano in pectore sensus,
627 disjunctasque animi turbato foedere partes,
628 nec liquida invisit sapientia, nec Deus intrat.
629 At si mentis apex regnandi jure potitus
630 pugnacis stomachi pulsus fibrasque rebelles
631 frenet, et omne jecur ratione coerceat una,
632 fit stabilis vitae status et sententia certa,
633 haurit corde Deum, Domino et subjungitur uni.
634 En ades, omnipotens, concordibus influe terris !
635 Jam mundus te, Christe, capit, quem congrege nexu
636 pax et Roma tenent. Capita haec et culmina rerum
637 esse jubes, nec Roma tibi sine pace probatur,
638 et pax ut placeat, facit excellentia Romae,
639 quae motus varios simul et dicione coercet
640 et terrore premit ; nec enim spoliata prioris
641 robore virtutis senuit nec saecula sensit,
642 nec tremulis, cum bella vocant, capit arma lacertis,
643 nec tam degeneri venerandis supplicat ore
644 principibus, quam vult praenobilis ille senator,
645 orandi arte potens, et callida fingere doctus,
646 mentitumque gravis personae inducere pondus,
647 ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato,
648 grande aliquod cujus per hiatum crimen anhelet.
649 Si vocem simulare licet, nempe aptior ista
650 vox Romae est, quam nunc ejus sub nomine promam.
651 Quae quia turpe putat templorum flere repulsam.
652 Aegidaque in dubiis pro se pugnasse periculis
653 dicere, seque gravem senio inclinante fateri,
654 ductores complexa suos sic laeta profatur :
655 "O clari, salvete, duces, generosa propago
656 principis invicti, sub quo senium omne renascens
657 deposui, vidique meam flavescere rursus
658 canitiem : nam cum mortalia cuncta vetustas
659 inminuat, mihi longa dies aliud parit aevum,
660 quae vivendo diu didici contemnere finem.
661 Nunc, nunc justa meis reverentia competit annis ;
662 Nunc merito dicor venerabilis et caput orbis,
663 cum galeam sub fronde oleae cristasque rubentes
664 concutio, viridi velans fera cingula serto,
665 atque armata Deum sine crimine caedis adoro.
666 Crimen enim (piget, heu !) Crimen persuaserat atrox
667 Juppiter, ut, sacro justorum sanguine tincta,
668 adsuetum bellis scelerarem funere ferrum.
669 Illius instinctu primus Nero, matre perempta,
670 sanguinem apostolicum bibit, ac me strage piorum
671 polluit, et proprium facinus mihi saevus inussit.
672 Post hunc et Decius jugulis bacchatus apertis
673 insanam pavit rabiem, mox et sitis arsit

674 multorum similis, per vulnera tristia flagrans
675 extrahere insignes animas, ac ludere poenis,
676 undantesque meum in gremium defundere mortes,
677 et sub jure fori non noxia colla secare.
678 Hac me labe ream modo tempora vestra piarunt.
679 Vivo pie vobis auctoribus, in pia pridem
680 arte Jovis, fateor ; quid enim non ille cruentum
681 Tradidit, aut quid mite sibi placidumve poposcit ?
682 Qui, dum praemetuit cultus inolescere Christi,
683 saeviit, ac miserum foedavit sanguine saeculum.
684 Et sunt qui nobis bella exprobrare sinistra
685 Non dubitent, postquam templorum spreverunt aras,
686 adfirmantque Lybin Collinae a cardine portae
687 Hannibalem Jovis imperio Martisque repulsum,
688 victores Senonas Capitolii ex arce fugatos,
689 cum super e celso pugnarent numina saxo !
690 Qui mihi praeteritam cladem veteresque dolores
691 inculcant iterum, videant me tempore vestro
692 jam nil tale pati : nullus mea barbarus hostis
693 cuspide claustra quatit, non armis, veste comisque
694 ignotus capta passim vagus errat in urbe,
695 transalpina meam rapiens in vincula pubem.
696 Temptavit Geticus nuper delere tyrannus
697 Italiam patrio veniens juratus ab Histro,
698 has arces aequare solo, tecta aurea flammis
699 solve, mastrucis proceres vestire togatos.
700 Jamque ruens Venetos turmis protriverat agros
701 et Ligurum vastarat opes et amoena profundi
702 rura Padi Tuscumque solum victo amne premebat :
703 depulit hos nimbos equitum non pervigil anser,
704 proditor occulti tenebrosa nocte pericli,
705 sed vis cruda virum perfractaque congrementum
706 pectora nec trepidans animus subcumbere leto
707 pro patria et pulchram per vulnera quaerere laudem.
708 Numquid et ille dies Jove contulit auspice tantum
709 virtutis pretium ? Dux agminis imperiique
710 christipotens nobis juvenis fuit et comes ejus
711 atque parens Stilico, Deus unus Christus utriusque.
712 Hujus adoratis altaribus et cruce fronti
713 inscripta cecinere tubae : prima hasta dracones
714 praecurrit, quae Christi apicem sublimior effert.
715 Illic ter denis gens exitiabilis annis
716 Pannoniae poenas tandem deleta pependit.
717 Corpora famosis olim ditata rapinis
718 in cumulos congesta jacent ; mirabere seris,
719 posteritas, saeculis inhumata cadavera late,
720 quae Pollentinos texerunt ossibus agros.
721 Si potui manibus Gallorum excisa levare
722 de cinerum squalore caput, redeunte Camillo
723 signa rendenti fumans si fronte recepi,
724 Si potui miseris sertis redimere ruinas
725 et male pendentes lauro praecingere turres,
726 quo te suscipiam gremio, fortissime princeps,
727 quos spargam flores, quibus insertabo coronis
728 atria, quae festis suspendam pallia portis,
729 immunis tanti belli, ac te stante sub armis
730 libera, et aure tenus Geticos experta tumultus ?
731 Scande triumphalem curram, spoliisque receptis,

732 huc Christo comitante veni ! Date, vincula demam
733 captivis gregibus, manicas deponite longo
734 tritas servitio, matrum juvenumque catervae !
735 Dediscat servire senex laris exul aviti,
736 discat et, ad patrium limen genetrice reversa,
737 ingenuum se nosse puer. Timor omnis abesto !
738 Vicimus, exultare libet. Quid tale repulso
739 Poenorum quondam duce contigit ? Ille petita
740 postquam perculerat tremefacta repagula portae,
741 Baianis resolutus aquis, durissima luxu
742 robora destituit, ferrumque libidine fregit.
743 At noster Stilico, congressus cominus, ipsa
744 ex acie ferrata virum dare terga coegit.
745 Hic Christus nobis Deus adfuit et mera virtus,
746 illic lascivum, Campania fertilis, hostem
747 deliciae vicere tuae ; non Juppiter acrem
748 protexit Fabium, sed juvit amoena Tarentus,
749 quae dedit inlecebris domitum calcare tyrannum.
750 His ego pro meritis quae praemia digna rependam
751 Non habeo : membra statuis effingere vile est.
752 Virtutem nil vile decet. Nam vile, quod aetas
753 eripit : aera cadunt aut fulvum defluit aurum.
754 Aut candor perit argenti, si defuit usus,
755 et fuscata situ corrumpit vena colorem.
756 Viva tibi, princeps, debetur gloria ; vivum
757 virtutis pretium, decus inmortale secuto :
758 regnator mundi Christo sociabere in aevum,
759 quo ductore meum trahis ad caelestia regnum.
760 Nil te permoveat magni vox rhetoris, oro,
761 qui, sub legati specie sacra mortua plorans,
762 ingenii telis et fandi viribus audet,
763 heu, nostram temptare fidem, nec te videt ac me
764 devotos, Auguste, Deo, cui sordida templa
765 clausimus et madidas sanie dejecimus aras.
766 Unus nostra regat servetque palatia Christus,
767 ne quis Romuleas daemon jam noverit arces,
768 sed soli pacis Domino mea serviat aula. "
769 Sic adfata pios Roma exoravit alumnos
770 spernere legatum non admittenda petentem,
771 legatum Jovis ex adytis ab aruspice missum,
772 at non a patria ; patriae sua gloria Christus.
773 Persistit tamen adfirmans iter esse viandi
774 multifidum variumque, Deus cum quaeritur unus.
775 Hinc alios, ast inde alios properare seorsum,
776 quemque per anfractus proprios, sed conpeta eodem
777 fine coartari simul et concurrere in unum.
778 Quin etiam caelum atque solum, ventos, mare, nubes
779 omnibus in commune dari, vel qui colimus te,
780 Christe, vel exta litant sculptis qui tabida saxis.
781 Non nego communem cunctis viventibus usum
782 aeris, astrorum, pelagi, telluris et imbris ;
783 immo etiam injustus pariter justusque sub uno
784 axe habitant ; unas capit inpius et pius auras,
785 castus et incestus, meretrix et nupta ; nec alter
786 ore sacerdotis quam myrmillonis anhelat
787 spiritus, aereo vitam qui temperat haustu.
788 Nubis verna pluit zephyro inpellente, sed aequae
789 furis et innocui fecundat rura coloni.

790 Gurgitis aestivi sic pura fluenta viator,
791 ut latro, fessus adit, sic piratis mare servit,
792 ut mercatori, nec fluctus secius hosti
793 obsequitur, quam cum licitae fert transtra carinae.
794 Ergo capax utriusque rei natura creandis
795 se praebet populis, nec habet discernere dispar
796 viventum meritum, quos tantum pascere iussa est.
797 Servit enim mundus, non iudicat ; hoc sibi summus
798 Naturae Dominus praescripta in tempora servat.
799 Nunc adsunt homini data munera legibus hisdem
800 quis concessa semel : fons liquitur, amnis inundat,
801 velivolum ratibus mare finditur, influit imber,
802 aura volat tenuis, vegetatur mobilis aer,
803 et res naturae fit publica promptaque cunctis,
804 dum servant elementa suum famulantia cursum.
805 Sic probus atque reus capitalis criminis hisdem
806 sideribus facilisque poli bonitate fruuntur.
807 Vivere commune est, sed non commune mereri.
808 Denique Romanus, Dacia, Sarmata, Vandalus, Hunnus,
809 Gaetulus, Garamans, Alamannus, Saxo, Galaulas,
810 una omnes gradiuntur humo, caelum omnibus unum est,
811 unus et oceanus, nostrum qui continet orbem.
812 Addo aliud : nostros potant animalia fontes ;
813 ipso rore mihi seges est, quo gramen onagris ;
814 spurca suis nostro amne natat ; nostra intrat et ipsos
815 aura canes, animatque levi fera corpora flatu.
816 Sed tantum distant Romana et barbara, quantum
817 quadrupes ab juncta est bipedi, vel muta loquenti.
818 Tantum etiam, qui rite Dei praecepta sequuntur,
819 cultibus a stolidis et eorum erroribus absunt.
820 Non facit ergo pares in religione tenenda
821 aeris et caeli communio ; corpora tantum
822 gignit, alit, reparat recidivaque semina servat.
823 Nec refert cujus generis cujusve figurae
824 aut cujus meriti, modo sint ut corpora terra
825 edita, terrenis quibus est vigor ex elementis,
826 artificis quia Patris opus discrimine nullo
827 influit in medium, nec avaro munere currit,
828 ante datum quam primus homo sordesceret Adam.
829 Nec vitio utentum restrictum deficit, aut se
830 subtrahit indignis, nec foeda et turpia vitat.
831 Haud aliter solis radius, cum luminat omnes
832 diffuso splendore locos, ferit aurea tecta,
833 sed ferit et nigro sordentia culmina fumo.
834 Intrat marmoribus Capitolia clara, sed intrat
835 carceris et rimas, et tetra foramina clausi
836 stercoris, et spurcam redolenti in fornice cellam.
837 Sed non illud erunt obscura ergastula, quod sunt
838 regia gemmato laquearia fulva metallo.
839 Nempe magis non illud erunt, qui numen in urnis
840 quaerunt ac tumulis et larvas sanguine placant,
841 quod sunt qui summum caeli Dominum venerantur,
842 iustitiamque litant, et templum pectoris ornant.
843 " Secretum sed grande nequit rationis opertae
844 quaeri aliter quam si sparsis via multiplicetur
845 tramitibus, et centenos terat orbita calles
846 quaesitura Deum variata indage latentem."
847 Longe aliud verum est ; nam multa ambago viarum

848 anfractus dubios habet et perplexius errat ;
849 Sola errore caret simplex via, nescia flecti
850 in diverticulum, biviis nec pluribus anceps.
851 Non tamen infitior duplex occurrere nobis
852 semper iter, geminis mortalia partibus ire,
853 cum dubitant quonam ferat ignorantia gressum.
854 Altera multifida est, at simplex altera et una :
855 una Deum sequitur, divos colit altera plures,
856 et tot sunt ejus divortia, quot templorum
857 signa, quot aeriis volitant phantasmata monstris.
858 Aut hos thyrsigeri rapit ad Dionysia Bacchi,
859 inlicit aut alios ad Saturnalia festa,
860 aut docet, occultus quae sacra Diespiter infans
861 inter tinnitus solvi sibi poscat aenos.
862 Jamque Lupercales ferulae nudique petuntur
863 discursus juvenum, Megalesius hinc spado diris
864 incensus furiis caeca ad responsa vocatur.
865 Sunt qui, quadriviis brevioribus ire parati,
866 vilia Niliacis venerantur holuscula in hortis,
867 porrum et caepe deos inponere nubibus ausi,
868 Alliaque et senapin caeli super astra locare.
869 Isis enim et Serapis et grandi Simia cauda
870 et Crocodillus idem quod Juno, Laverna, Priapus :
871 Hos tu, Nile, colis, illos tu, Thybris, adoras ;
872 una superstitio est, quamvis non concolor error.
873 Hinc alia exoritur tenebrosis tecta frutectis
874 semita, quam pecudes et muta animalia carpunt,
875 quaeque latent silvis : operitur nescia caeli
876 mens hominum, saevo vivens captiva tyranno.
877 Haec putat esse deum nullum, namque omnia verti
878 casibus, et nullo sub praeside saecla rotari.
879 Hoc iter haudquaquam magno discrimine distat
880 hisce viis quas vos teritis, qui numina multa
881 et portenta deum summum numerosa putatis.
882 Simplicis ergo viae dux est Deus, ille per unam
883 ire jubet mortale genus, quam dirigit ipse
884 sublimem dextro celsa ad fastigia clivo.
885 Prima viae facies inculta, subhorrida, tristis,
886 difficilis, sed fine sui pulcherrima, et amplis
887 praedita divitiis, et abundans luce perenni,
888 et quae praeteritos possit pensare labores.
889 Multiplici dux daemon adest, qui parte sinistra
890 centifidum confundit iter : trahit inde sophistas
891 barbatos, trahit hinc opibus vel honore potentes.
892 Inlicit et volucrum linguis et aruspice fallit,
893 instigat bacchantis anus ambage Sibyllae,
894 involuit mathesi, magicas inpellit in artes,
895 omine sollicitat, capit augure, territat extis.
896 Cernis ut una via est, multis anfractibus errans,
897 talem passa ducem, qui non sinat ire salutis
898 ad Dominum, sed mortis iter per devia monstrat,
899 devia picta bonis brevibus, sed fine sub ipso
900 tristia, et in subitam praeceps immersa Carybdem ?
901 Ite procul, gentes ! Consortia nulla viarum
902 sunt vobis cum plebe Dei ; discedite longe,
903 et vestrum penetrate chaos, quo vos vocat ille
904 praevious infernae perplexa per avia noctis !
905 At nobis vitae Dominum quaerentibus unum

906 lux iter est et clara dies et gratia simplex.
 907 Spem sequimur, gradimurque fide, fruimurque futuris,
 908 ad quae non veniunt praesentis gaudia vitae,
 909 nec currunt pariter capta et capienda voluptas.
 910 Ultima legati defleta dolore querella est,
 911 Palladiis quod farra focus, vel quod stipis ipsis
 912 virginibus castisque choris alimenta negentur,
 913 Vestales solitis fraudentur sumptibus ignes.
 914 Hinc ait et steriles frugescere rarius agros,
 915 et tristem saevire famem, totumque per orbem
 916 mortales pallere inopes ac panis egenos.
 917 Quae tanta extiterit praesenti tempore tamque
 918 invidiosa fames, quam Triptolemi Cererisque
 919 moverit ira, penu pro virginis ulciscendo,
 920 Non memini, nec tale aliquid vel fama susurrat.
 921 Audio per Pharios Nilum discurrere campos
 922 more suo, viridisque sata stagnare Canopi.
 923 Aut veniat sicco qui flumine nuntius adfert
 924 jejunam squalere siti sub pulvere Memphim,
 925 nec Pelusiacaе limum sudare paludis.
 926 Num fons arcano naturae tectus operto
 927 aruit, et tenuem vix stillat vena liquorem ?
 928 Num refugus nostras odit praestringere ripas
 929 amnis, et exustos cursum deflectit ad Indos ?
 930 Num tractu in medio bibulus vorat alveus undam
 931 fluminis, et subito stagna absorbentur hiatu,
 932 ne sulcos operire vadis neve arida possint
 933 Aegypti per plana trahi, glaebasque rigentes
 934 infusis ad pingue lutum mollire fluentis,
 935 unde seges late crinitis fluctuet agris
 936 densius et gravidis se vestiat aequor aristis ?
 937 Respice, num Libyci desistat ruris arator
 938 frumentis onerare rates et ad ostia Thybris
 939 mittere triticeos in pastum plebis acervos,
 940 numne Leontini sulcator solvere campi
 941 cesset frugiferas Lilybeo ex litore cumbas,
 942 nec det vela fretis, Romana nec horrea rumpat
 943 Sardorum congesta vehens granaria classis.
 944 Ergo piris mensas silvestribus inplet arator
 945 Poenus et evulsas Siculus depascitur herbas,
 946 jamque Remi populo quernas Sardinia glandes
 947 subpeditat, jam corna cibus lapidosa Quiritum ?
 948 Quis venit esuriens magni ad spectacula circi,
 949 quae regio gradibus vacuis jejunia dira
 950 sustinet aut quae Janiculi mola muta quiescit ?
 951 Quantos quaeque ferat fructus provincia quamque
 952 ubere fecundo large fluat orbis opimus,
 953 indicio est annona, tuae quae publica plebi,
 954 Roma, datur tantaeque manus longa otia pascit.
 955 Sit fortasse aliquis paulo infecundior annus,
 956 nil mirum, nec in orbe novum : didicere priores,
 957 perpersi plerumque famem, si tabidus aer
 958 siccavit tenues ardenti sidere nubes,
 959 nec vernas infudit aquas creberrimus imber
 960 fruge nova et viridi, si messis, adulta priusquam
 961 conceptas tenero solidaret lacte medullas,
 962 adflatum calido sucum contraxit ab Euro,
 963 jejunosque tulit calamos, atque inrita vota

964 agricolae sterilis stipularum silva fefellit.
 965 His, ni fallor, ager vitiis corruptus et ante
 966 subjacuit, quam Palladium, quam Vesta penates
 967 sub lare Pergameo servarent igne reposto,
 968 quam Priami genitor conductis moenia fabris
 969 exstrueret, quam virgo suas fundaret Athenas
 970 Pallas, in his quoniam Vestalis origo favillae
 971 urbibus, ut memorant, primo de fomite sumpta est,
 972 sacraruntque focos aut Phryx aut Graius alumnos.
 973 Antiquis elementa labant erroribus, ac de
 974 legitimo discussa modo plerumque feruntur
 975 in casus alios quam lex habet aut iter anni.
 976 Nunc consumit edax segetem rubigo maligni
 977 aeris ex vitio ; nunc culpam vere tepenti
 978 post zephyros gelidi glacies aquilonis inurit,
 979 ambustumque caput culmi fuligine tinguit ;
 980 seminis aut teneri turgens dum germinat herba,
 981 continuis nimiisque perit constricta pruinis,
 982 nec potis est tenuem telluri adfigere fibram ;
 983 mox ejecta solo glacie sidente superfit,
 984 nudaque subducto radix avellitur arvo.
 985 Ancipites tribuli subeunt et carduus horrens ;
 986 Hos fert sicca sitis, hunc ebrius educat umor.
 987 Temperies effusa minus vel plus agit istos
 988 terrarum morbos, et mundum vulnerat aegrum.
 989 Non aliter nostri corruptus corporis usus
 990 in vitium plerumque cadit, nec in ordine recto
 991 perstat, et excessu moderaminis adficit artus ;
 992 unus enim status est mundique et corporis hujus
 993 quod gerimus, natura eadem sustentat utrumque.
 994 Edita de nihilo crescunt, nihilumque futura
 995 aut titubant morbis aut tempore victa senescunt.
 996 Nec natura caret vitio, cui terminus instat.
 997 Semper, crede, polus variis proventibus annos
 998 texuit : hos multa ditavit fruge fluentes,
 999 quosdam infelices astris damnavit iniquis,
 1000 spe cassa et sterili curam frustratus agrestem.
 1001 Sed si Vestales ulciscitur ista puellas
 1002 pestis, ab infido quae gignitur improba mundo,
 1003 cur non christicolum tantum populatur agellos,
 1004 per quos virginibus vestris stata dona negantur ?
 1005 Utimur et ruris reditu, et ratione colendi
 1006 exercere manum non paenitet : et lapis illic
 1007 Si stetit, antiquus quem cingere sueverat error
 1008 fasceolis, vel gallinae pulmone rogare,
 1009 frangitur, et nullis violatur Terminus extis,
 1010 et quae fumificas arbor vittata lucernas
 1011 servabat, cadit ultrici succisa bipenni.
 1012 Nec tamen idcirco minor est aut fructus agelli,
 1013 aut tempestatis clementia laeta serena,
 1014 temperet aut pluviis qui culta novalia ventus.
 1015 Sed nec magno opus est frugi viventibus, et, cum
 1016 maxima proveniunt, non amplo in gaudia censu
 1017 solvimur, inque lucrum studio exultamus avaro.
 1018 Nam quibus aeternum spes informatur in aevum,
 1019 omne bonum tenue est quod praesens ingerit aetas.
 1020 O felix nimium sapiens et rusticus idem
 1021 qui, terras animumque colens, inpendit utrisque

1022 curam pervigilem, quales quos inbuit auctor
 1023 Christus, et adsumptis dedit haec praecepta colonis :
 1024 "Semina cum sulcis committitis, arva cavete
 1025 dura lapillorum macie, ne decidat illic
 1026 quod seritur, primo quoniam praefertile germen
 1027 luxuriat, suco mox deficiente sub aestu
 1028 sideris igniferi sitiens torretur et aret ;
 1029 neve in spinosos incurrant semina vepres,
 1030 aspera nam segetem surgentem vincula texunt,
 1031 ac fragiles calamos nodis rubus artat acutis ;
 1032 et ne jacta viae spargantur in aggere grana,
 1033 haec avibus quia nuda patent, passimque vorantur,
 1034 inmundisque jacent foeda ad ludibria corvis."
 1035 His Deus agricolam confirmat legibus ; ille
 1036 jus caeleste Patris non summa intellegit aure,
 1037 sed simul et cordis segetem disponit et agri,
 1038 ne minus interno niteant praecordia cultu,
 1039 quam cum laeta suas ostentant jugera messes.
 1040 Extirpamus enim sentos de pectore vepres,
 1041 ne vitiosa necent germen vitale flagella,
 1042 ne frugera segetemque animae spinosa malorum
 1043 inpediat sentix scelerum peccamine crebro,
 1044 glareae ne tenuis jejunis siccet harenis
 1045 marcentem sub corde fidem, ne pectoris aestus
 1046 flagret et effetis urat charismata venis,
 1047 denique ne jecoris detrita in parte relinquat
 1048 vilis cura Deum, ne spem, qua vescimur intus,
 1049 deserat obscenisque avibus permittat edendam,
 1050 et projecta fides hosti sit praeda volucris.
 1051 Talis nostrorum sollertia centuplicatos
 1052 agrorum rediget fructus, quibus acrius instat ;
 1053 nec metuit ne congestum populetur acervum
 1054 curculio, vel nigra cavis formica recondat.
 1055 Sunt et virginibus pulcherrima praemia nostris :
 1056 et pudor, et sancto tectus velamine vultus,
 1057 et privatus honos, nec nota et publica forma,
 1058 et rarae tenuesque epulae, et mens sobria semper,
 1059 lexque pudicitiae vitae cum fine peracta.
 1060 Hinc decies deni rediguntur in horrea fructus,
 1061 horrea nocturno non unquam obnoxia furi,
 1062 nam caelum fur nullus adit, caelestia numquam
 1063 fraude resignantur ; fraus terris volvitur imis.
 1064 Quae nunc Vestalis sit virginitatis honestas
 1065 discutiam, qua lege regat decus omne pudoris.
 1066 Ac primum parvae teneris capiuntur in annis,
 1067 ante voluntatis propriae quam libera secta,
 1068 laude pudicitiae fervens et amore deorum,
 1069 justa maritandi condemnet vincula sexus.
 1070 Captivus pudor ingratis addicitur aris,
 1071 nec contempta perit miseris, sed adempta voluptas
 1072 corporis intacti ; mens non intacta tenetur,
 1073 nec requies datur ulla toris, quibus innuba caecum
 1074 vulnus et amissas suspirat femina taedas.
 1075 Tum quia non totum spes salva interficit ignem
 1076 nam resides quandoque faces adolere licebit,
 1077 festaque decrepitis obtendere flammae canis),
 1078 tempore praescripto membra intemerata requirens,
 1079 tandem virgineam fastidit Vesta senectam.

1080 Dum thalamis habilis tumuit vigor, inrita nullus
1081 fecundavit amor materno viscera partu ;
1082 nubit anus veterana sacro perfuncta labore,
1083 desertisque focis quibus est famulata juvenas,
1084 transfert emeritas ad fulcra jugalia rugas,
1085 discit et in gelido nova nupta tepescere lecto.
1086 Interea dum torta vagos ligat infula crines,
1087 fatalesque adolet prunas innupta sacerdos,
1088 fertur per medias, ut publica pompa, plateas,
1089 pilento residens molli, seque ore relecto
1090 inputat attonitae virgo spectabilis urbi.
1091 Inde ad consessum caveae pudor almus et expers
1092 sanguinis it pietas, hominum visura cruentos
1093 congressus mortesque, et vulnera vendita pastu
1094 spectatura sacris oculis. Sedet illa verendis
1095 vittarum insignis phaleris fruiturque lanistis.
1096 Tenerum mitemque animum ! Consurgit ad ictus,
1097 et, quotiens victor ferrum jugulo inserit, illa
1098 delicias ait esse suas, pectusque jacentis
1099 Virgo modesta jubet converso pollice rumpi,
1100 ne lateat pars ulla animae vitalibus imis,
1101 altius inpresso dum palpitat ense secutor.
1102 Hoc illud meritum est, quod continuare feruntur
1103 excubias Latii pro majestate palati,
1104 quod redimunt vitam populi procerumque salutem,
1105 perfundunt quia colla comis bene, vel bene cingunt
1106 tempora taeniolis, et licia crinibus addunt,
1107 et quia subter humum lustrales testibus umbris
1108 in flammam jugulant pecudes et murmura miscent,
1109 an quoniam, podii meliore in parte sedentes,
1110 spectant aeratam faciem quam crebra tridenti
1111 inpacto quatiant hastilia, saucius et quam
1112 vulneribus patulis partem perfundat harenae,
1113 cum fugit, et quanto vestigia sanguine signet ?
1114 Quod genus ut sceleris jam nesciat aurea Roma,
1115 te precor, Ausonii dux augustissime regni,
1116 et tam triste sacrum jubeas, ut cetera, tolli.
1117 Perspice nonne vacat meriti locus iste paterni,
1118 quem tibi supplendum Deus et genitoris amica
1119 servavit pietas. Solus ne praemia tantae
1120 virtutis caperet : " Partem tibi, nate, reservo",
1121 dixit, et integrum decus intactumque reliquit.
1122 Adripe dilatam tua, dux, in tempora famam,
1123 quodque patri superest, successor, laudis habeto :
1124 Ille urbem vetuit taurorum sanguine tingui,
1125 Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.
1126 Nullus in Urbe cadat cujus sit poena voluptas,
1127 nec sua virginitas oblectet caedibus ora.
1128 Jam, solis contenta feris, infamis harena
1129 nulla cruentatis homicidia ludat in armis.
1130 Sit devota Deo, sit tanto principe digna
1131 et virtute potens et criminis inscia Roma,
1132 quemque ducem bellis sequitur, pietate sequatur.